

BEATI

RAYMUNDI

LULLI

DOCTORIS ILLUMINATI
ET
MARTYRIS.

LIBER

MAGNUS CONTEMPLATIONIS
in Deum.

JVXTA MOGVNTINAM EDITIONEM
in folio Anni MDCCXL.

IN VARIOS TOMOS DISTRIBUTUS.
Tomus IV.

PALMÆ MAJORICARUM
anno MDCCXLVII.

Superiorum permissu.

Typis Michaelis Cerdà & Antich, & Mi-
chaelis Amoròs Typogr.

+

Mittitur ad eum
Fr. Augustini & Torrella
Monaci Carthusiensis

BEATI
RAYMUNDI
 LULLI
 DOCTORIS ILLUMINATI
 ET
 MARTYRIS
MAGNVS LIBER
 CONTEMPLATIONIS
IN DEVM.
 VOLUMEN II.
LIBER III.
 DISTINCTIO XXIII.
 DE VISV.
 CAPUT CIII.

Quomodo homo videat humanum introitum in hunc mundum & exitum ab eo.

1.
a.



*EV*S gloriose, virtuose:
 Tibi, Domine, detur &
 cognoscatur omnis glo-
 ria & honor, qui de-
 monstras nostris oculis
 corporalibus vilitatem

&

4. *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

& immunditiam materiæ, quæ exit de viro & muliere, de qua materia generatur & componitur homo, quando intrat in hunc mundum.

2. Sicut Rex vel nobilis Princeps, quando intrat in civitatem, venit nobilibus vestibus indutus, & invenit omnes vias civitatis ornatas & tectas pannis aureis & sericis; ita, *Domine*, quando homo intrat in hunc mundum in sua nativitate, venit indutus valde immundâ veste, & exit de immundiori & viliori parte, quæ est in fœmina.

3. Introitum nostrum, quando venimus in hunc mundum, *Domine*, video plenum doloribus & magnis angustiis; quia mater plorat & clamat & plangit propter graves dolores, quos sentit, & propter propinquitatem mortis, in qua est; & infans, qui nascitur, plorat & clamat propter magnam constrictionem, quam sentit, & propter magnum dolorem, quem sustinet in sua nativitate.

4. b. *O Rex Regum! O Domine Dominorum!*

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIII. Cap. CIII. ¶
rum! O gloriose super omnes glorias! Non
videmus, quòd ulla creatura intret in hunc
mundum ita captivè & miserè, sicut homo;
quia ipse nascitur totus nudus & pauper &
impotens, & bestia & aves nascuntur in-
duta corio & pilis & plumis, & habent
majorem fortitudinem, quàm homo, in sua
nativitate.

5. Etiam videmus, *Domine*, quòd bes-
tia & aves, quando nascuntur, nascan-
tur sinè culpa & peccato; sed non est ita
de nobis, quia omnes nascimur in peccato
& culpa propter primum peccatum primi
Parentis.

6. Nos videmus, quòd bestia & aves,
quamprimùm sunt natae, habeant fortitu-
dinem & industriam ad inquirendum res,
de quibus sumant vitam; nam bestia, sta-
tim surgunt & eunt ad mammam suæ ma-
tris, & aves statim quærunt semina, de qui-
bus vivant; sed de nobis, *Domine*, non est
ita; quia, quando sumus nati, moreremur,
nisi mammam nostro ori imponerent, &
nisi nos pannis involverent, & nobis mi-
nistrarent

nistrarent nostræ matres.

7. c. *Domine misericors, abundans omnibus bonis!* Nos videmus, quòd quando infantes sunt nati, statim sint pleni foetore & immunditiâ; quia ubi jacent, & in pannis, quibus sunt involuti, mingunt & faciunt fœditates & immunditias: igitur vilior est nostra nativitas, quàm ullius alterius creaturæ; quia non videmus, quod aliæ creaturæ habeant tantam immunditiam, nec in locis, ubi jacent, faciant tot spurcicias, sicut nos facimus.

8. Video, *Domine*, quòd noster introitus in hunc mundum sit plenus fame & siti & calore & frigore, & ipsum video plenum defectibus & infirmitatibus & ignorantis & stupiditatibus & miseriis.

9. Posteaquam aliquantulum crevimus, *Domine*, & incipimus habere discretionem, statim incipimus ludere & currere & laborare, & facimus res, de quibus nulla utilitas sequitur: igitur, quando deberemus incipere laudare & benedicere Te, qui nobis dedisti *esse*, facimus & dici-

mus

mus tales res, quæ nihil valent.

10. d. *Vere Domine, sapiens in omnibus
sapientiis, nobilis in omnibus honorificentis!*

Nos videmus, quòd infantes in pueritia
plús utantur naturâ potentia sensitivæ,
quàm naturâ potentia rationalis, & ideo
faciant res sinè ratione & utilitate.

11. Nos videmus, *Domine*, quòd, quan-
do infans pervenit ad ætatem, in qua pos-
set sequi naturam potentia rationalis, pri-
mò in sua juventute incipiat sequi vias pec-
cati, & utatur ratione in operibus vitiosis,
& inclinet rationem ad sensualitatem.

12. Nos videmus, *Domine*, quòd ætas
& natura hominum hujus mundi usque
ad viginti quinque annos crescat & multi-
plicetur, sed post quadraginta annos inci-
piat declinare & senescere & reddere cor-
pus terræ: igitur, sicut videmus, quòd as-
cendamus per juventutem, ita videmus,
quòd descendamus per senectutem.

13. e. *O Domine sancte! O Domine gra-
tiose! O Domine plene virtute & fortitudine!*
Nos videmus, quòd in hoc mundo quidam

mo-

morianantur juvenes & alii senes: igitur omnes venimus in hunc mundum crescendo de gradu in gradum, sed non omnes eximus de hoc mundo descendendo de gradu in gradum.

14. Sicut omnes intramus in hunc mundum cum plorantibus & lacrymis & laboribus & angustiis & doloribus, ita video, *Domine*, quòd omnes exeamus de hoc mundo cum plorantibus & doloribus & laboribus & angustiis mortis.

15. Si noster introitus in hunc mundum, *Domine*, est vilis & pauper & miser, etiam talis est exitus; quia, sicut nemo venit cum divitiis & vestimentis in hunc mundum, ita nemo, quando moritur, secum aufert divitias & bona temporalia, imò omnia relinquit; & sicut homo in sua nativitate non utitur intellectu & ratione, ita, quando est in puncto mortis, non potest eis bene uti.

16. f. *Domine sancte, Domine fortis, Domine nobilis*! In die mortis video plorare & plangere consanguineos & amicos hominis

nis

nis mortui; sed paucis diebus post mortem ipsius video eos ludere & ridere & se recreare, & non habere ullam memoriam illius, quem plorabant & plangebant.

17. Quamdiu sumus in hoc mundo, *Domine*, confidimus in nobis invicem, & amamus nos invicem, sed post mortem pauci sunt, qui habeant amicos, & qui adimpleant defuncto id, quod ei promiserunt, imò ferè omnes faciunt contrarium illius, quod promiserunt.

18. Quamprimùm homo, *Domine*, est mortuus, sui amici obliviscuntur ejus, & amorem, quem erga eum habebant, transferunt ad vivos; &, si homo mortuus rediret ad vitam & veniret ad suos filios vel cognatos, eum non cognoscerent, nec reciperent in suam domum, nec darent ei necessaria.

19. g. O *Domine vere DEVS*, perdurabilis omni tempore, in quo contemplando aggregantur beati paradisi! Nos videmus, quòd homo mortuus, qui erat pinguis & grossus & rubicundus & sanus, brevi tempore

pore ponatur sub terra, & sepeliatur, ne det foetorem gentibus; quia, nisi sepeliretur, nemo posset stare prope ipsum.

20. Quæ res posset devenire, *Domine*, in majorem vilitatem & miseriam, quàm corpus hominis, quod pervertitur in turpitudinem & foetorem, & non movetur, imò stat in similitudinem rei impotentis & corruptæ & putridæ?

21. Quid prodest, *Domine*, homini mortuo suum genus & suæ divitiæ & suus honor, postquam suum corpus computrescit, & perdit suam speciem, & ponitur sub terra, & comeditur à vermibus?

22. h. *O Domine DEVS, qui es dignus esse DEVS & Dominus & Creator & Ordinator omnium rerum!* Sicut homines plorantibus & doloribus intrant in hunc mundum, ita similiter video eos de ipso exire: unde ergo venit, quòd ipsi sint superbi, quoniam ita viliter intrant in hunc mundum, & ita viliter de eo exeunt?

23. Omnis homo, *Domine*, qui in hoc mundo delectatur in vanitatibus mundanis,

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIII. Cap. CIII. 11
nis, deberet cogitare & memorare vilitatem & miseriam & dolorem & poenam, quibus venit in hunc mundum, & exhibit de ipso.

24. Illi, qui in hoc mundo sunt viles & vilium operum, *Domine*, omnimodè sunt viles & miseri; quia vilitate veniunt in hunc mundum, & vilitate manent in eo, & vilitate exeunt ab eo.

25. i. Tibi, *Domine DEVS*, detur laus & gloria & benedictio, & nos cognoscatur viles & miseri & pauperes; quia, sicut videmur viles per vilem introitum in hunc mundum & per vilem exitum ab eo, ita Tu oculis nostræ animæ videris nobilis & honoratus per hoc, quòd sis Dominus æternus gloriosus sinè ulla corruptione.

26. Sicut nos sumus viles & miseri, quia habemus principium & finem, ita, *Domine*, Tu es altus & nobilis, quia es sinè principio & fine.

27. Benedictus sis, *Domine DEVS*, quia nos non solum sumus viles & miseri per hoc, quòd habeamus principium & fi-

nem,

nem, sed etiam per hoc, quòd nostrum principium & noster finis sit principium & finis magni foetoris & magni doloris & magnæ vilitatis.

28. K. *Domine vere DEVS, qui es magnus super omnes magnitudines, & qui es honoratus super omnes honorationes!* Maledicti sunt omnes, qui exeunt de hoc mundo sinè bonis operibus, quæ in eo fecerint; quia, si suus introitus in hunc mundum fuit gravis & valde dolorosus, valde gravior & dolorosior erit suus introitus in alium, quia intrabunt in pœnas & dolores perdurabiles.

29. Omnes qui exeunt de hoc mundo in statu gratiæ & pœnitentiæ, *Domine DEVS*, sunt beati; quia, licèt suus introitus in hunc mundum & exitus ab eo sint viles & dolorosi, tamen suus introitus in alium est valde benedictus & gloriosus.

30. Tuus servus & tuus subditus, *Domine DEVS*, petit à Te gratiam, ut eum facias cogitare & perpendere vilem introitum in hunc mundum & anxium exitum
de

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIII. Cap. CIV. 13
de ipso, ut conetur se fortificare ad gloriosè & beatè intrandum in aliud sæculum ad præsentiam tuæ gloriosæ Essentiæ divinæ.

CAPUT CIV.

QVOMODO HOMO VIDEAT IN hoc mundo, quænam res sint pulchræ & quænam deformes.

1. **O** *DEVS* gloriose, amorose! Tibi, a. **O** *Domine*, fiat reverentia & honor omni tempore, qui ordinasti & direxisti in tali ordinatione & dispositione hominem, quòd oculis corporalibus & spiritualibus possit videre pulchritudines & deformitates hujus mundi.

2. *Placens Domine, plene gratiâ!* Sicut oculi corporales vident, quænam res sint turpes, & quænam pulchræ inter corporales, ita oculi spirituales vident inter res intellectuales, quænam sint pulchræ & quænam turpes.

3. Sicut

3. Sicut oculis corporalibus placet videre claritatem auroræ & stellam matutinam, & prata & flores & ripas & sylvas, ita, *Domine*, oculis spiritualibus placet cogitare & videre virtutes hominis, sicut sunt amor & patientia & fidelitas & humilitas & pietas & misericordia.

4. b. *O Liberalis Domine, juste, sapiens, vere in omnibus rebus!* Si oculis corporalibus placet videre pulchram foeminam, quando est bene induta & bene ornata, oculis spiritualibus valde displicet eam videre, si sit mala & vilium & turpium operum.

5. *Gloriose DEVS!* Oculis corporalibus non placet videre viles pannos nec laceras vestes, nec placet eis species hominis senis macilenti, infirmi, lacrymosi & tristis; sed de oculis spiritualibus non est ita, *Domine*, quia valde pulchrum & placens est animæ eum videre, quando pro tuo amore senuit in tuo servitio.

6. Si oculis corporalibus, *Domine DEVS*, est turpe videre immunditias, quas
ho-

homines expellunt à suis corporibus, multò turpius est oculis spiritualibus videre in cordibus ipsorum falsitates & proditiones & fraudes & cupiditates & alia vitia.

7. c. *Domine vere DEVS*, qui es altus & nobilis super omnes nobilitates & super omnes honorationes! Beatus religiosus habet multò majus placitum videndo suos viles pannos, quamvis sint vetusti & repetiati & turpis coloris, quàm videndo nobiles & honoratas vestes pulchri coloris, quibus induunt se homines delicati, & qui sunt amatores vanæ gloriæ hujus mundi.

8. *Amorose Domine!* Sicut spirituales oculi sunt nobiliores & meliores corporalibus, ita majus placitum & melior visio est videre res, quæ sunt pulchræ ad videndum spiritualibus oculis, quàm quæ sunt pulchræ ad videndum corporalibus oculis.

9. Similiter accidit, *Domine*, in rebus, quæ sunt turpes ad videndum; quia multò major displicentia & foetor & turpitudine est videre res, quæ sunt turpes secundum visum spiritualem, quàm res, quæ sunt turpes

pes

pes secundum visum corporalem: igitur, cum hoc ita sit, valde miror, quod homines possint plus amare visum oculorum corporalium, quam spiritualium, & plus sentire pulchritudinem vel turpitudinem, quae videtur oculis corporalibus, quam quae videtur oculis spiritualibus.

10. d. *Humilis Domine, cui obediunt omnes populi, & benevolunt omnes gentes!* Multo pulchrius est videre fimum in horto, quam malam foeminam in Ecclesia, quamvis fimus sit res valde turpis & foemina sit valde pulchra; & hoc est, quia de fimo, qui est in horto, exeunt folia & flores & fructus diversorum colorum & pulchrorum odorum & bonorum saporum, & de mala foemina, quantumcunque bene sit ornata, non exit nisi peccatum & foetor & immunditia.

11. Mala foemina, *Domine*, sibi applicat colorem album & rubeum, & tingit suos capillos & supercilia & os & oculos, ut gentibus videatur pulchra, & super pulchros colores & bonas dispositiones, quas

po-

posuisti in ea, ponit colores rerum foetentium & valde turpium ad videndum & odorandum & palpandum.

12. Quid prodest malæ foeminae, *Domine*, si videatur pulchra oculis corporalibus, quoniam oculi spirituales sciunt, quòd tota sua pulchritudo vertetur in foetorem & vermes, & terra comedet & putrefaciet omnes illas partes corporis, quas ipsa tingit & colorat?

13. e. *Patiens Domine, in quo stant omnia mea desideria & omnes meae divitiae & omnia bona!* Homines peccatores amant videre res pulchras oculis corporalibus, & nolunt videre turpitudinem ipsarum, quæ videtur oculis spiritualibus, & evitant videre res turpes corporalibus oculis, & nolunt videre pulchritudinem ipsarum, quæ videtur spiritualibus oculis.

14. Non est ita, *Domine*, de hominibus religiosis & de sapientibus, quia omnia, quæ vident sive oculis corporalibus sive spiritualibus, judicant secundum pulchritudinem vel turpitudinem, quas in eis

B

vident,

vident, sive sit pulchritudo vel turpitudine respectu oculorum corporalium sive respectu spiritualium.

15. *Cælestis Domine!* Si oculi corporales aspiciunt in re pulchra pulchras dispositiones & pulchros colores, spirituales in ea aspiciunt principium & finem & corruptionem & destructionem & defectum: igitur, qui est captus & ligatus amore rerum pulchri coloris & pulchræ formæ per visum corporalem, aspectu oculorum spiritualium poterit sibi succurrere & se juvare, & se solvere ab illo ligamine per turpitudinem, quam videbit in illis.

16. f. *Æterne Domine perdurabilis, in omni tempore gloriose!* Sicut magna siccitas & magnum frigus est pestilentia fructuum terræ, „ ita pulchritudo foeminarum fuit „ pestilentia & tribulatio meorum oculorum; quia propter ipsam fui oblitus tuæ „ magnæ Bonitatis & pulchritudinis tuorum „ operum.

17. „ Propter placitum, quod mei oculi „ habuerunt in videndo pulchras foemi-

„nas,

nas, meum cor desideravit, quòd ipsæ haberent suam voluntatem corruptam in fœtore luxuriæ ; & hoc mihi videtur, *Domine*, valde repugnans, quòd ego amaverim & voluerim ipsas esse pulchras, & suam voluntatem esse conspurcatam in turpiori peccato, quod esse possit.

18. Quid valet, *Domine*, quòd palatium vel castellum sit foris valde pulchrum ad videndum, & intus sit plenum fœtore & immunditiâ ? unde similiter pulchra fœmina est res vilis ad videndum, si sua mens & sua voluntas sit in cœno & fœtore luxuriæ.

19. g. *Placens Domine, in quo est dulcedo & amor & honor & placitum!* De pulchrioribus rebus, quas oculi corporales possint videre, sunt pulchri flores & pulchri fructus, sicut pulchra rosa vel pulcher flos lili vel pulchrum pomum vel pulchrum pirum, quia quælibet istarum rerum est valde placens ad videndum.

20. Sed sinè omni comparatione, *Domine*, est pulchrior res ad videndum oculis

spi-

spiritualibus magna pulchritudo, quæ est in tuo opere, quæ videtur in creaturis, quas creasti & ordinasti.

21. Cúm tuus servus, *Domine DEVS*, multoties inquisiverit, quomodo posset videre pulchritudines, quæ sunt in rebus corporalibus, & non inquisiverit nec petiverit, quomodo posset videre pulchritudines, quæ sunt in spiritualibus, valde dolet & se cognoscit culpabilem Tibi; quia valde magnus defectus est propter pulchritudinem rerum corporalium relinquere pulchritudinem rerum spiritualium.

22. h. *Domine vere DEVS, qui es principium omnium principiorum & perfectio omnium perfectionum!* Arbor, quæ habet plures ramos siccos, quàm virides, non est tam pulchra ad videndum, sicut esset, si omnes suæ branchæ & sui rami essent virides & pleni foliis & floribus: igitur, cúm in me sint multò plura peccata, quàm virtutes, valde bene scio, quòd in tua Sapiencia videar multò turpior & immundior, quàm pulcher & virtuosus.

23. Sicut

23. Sicut arbor habens ramos mortuos putatur & purgatur & renovatur, & dat pulchritudinem de se ipsa corporalibus oculis ratione ramorum & florum & fructuum, quos producit, ita, *Domine*, si Tibi placeret me purgare & mundare à meis gravibus peccatis, adhuc posset esse, quòd viderer ab hominibus pulcher & mundus & plenus bonis operibus.

24. Si Pallium & amictus & purpura, *Domine*, sunt turpes ad videndum, quando est in eis aliqua macula, quantò plùs ego sum turpis ad videndum, qui sum plenus maculis & immuditiis, quia graves culpæ & gravia peccata totum me foedaverunt & immundaverunt ?

25. i. *O Cælestis Domine, qui scis omnia quaecunque unquam fuerunt, sunt & erunt!* Homo, qui vult facere & construere suum palatium vel suum castellum, & habet in voluntate ipsum facere valde pulchrum & bene pictum & valde nobile, prius imaginatur pulchritudinem, quàm turpitudinem ipsius.

26. *Gloriose Domine!* Sicut homo respicit in pulchro palatio vel in pulchro castello illa, quæ in eo demonstrantur pulchra, sive sint picturæ sive sculpturæ sive muri sive turres sive quidquid aliud sit; etiam debet in eo respicere illa, quæ demonstrantur esse turpia, quæ sunt, quòd, qui palatium facit, & qui ipsum facit conftrui & ædificari, moriantur; & palatium vel castellum non erit ita forte, quòd non cadat vel corrumpatur, vel veniat ad defectum & destructionem.

27. Si Principes & Barones & alii homines, *Domine*, spiritualibus oculis aspicerent ita frequenter foeditatem operum, quæ faciunt, quæ est corruptio & destructio, in quam ipsa deveniunt, sicut aspiciunt pulchritudinem ipsorum operum, non facerent tot cameras nec tot turres nec tot triclinia nec tot cœnacula, quot faciunt, in quibus consumunt & dissipant suos dies & divitias, quas eis commendasti, de quibus Tibi debent reddere rationem.

28. K. *Domine amate, Domine obtemperate,*

rate, Domine honorate! Sicut mulier, quæ se aspicit in speculo, videt in eo pulchritudinem vel foeditatem suæ faciei & dispositiones sui corporis, ita tuus servus, quando respicit in Crucem, videt & percipit omnes suas pulchritudines & omnes suas turpitudines in se ipso.

29. Si ita sit, *Domine*, quòd, dum respicio Crucem, mei oculi corporales sint pleni lacrymis, & meum cor sit plenum amore & devotione & recordatione tuæ sanctæ Passionis, tunc mei oculi spirituales me vident valde pulchrum & valde mundum.

30. Sed, si ita sit, *Domine*, quòd dum sto ante tuum gloriosum Altare & ante sanctam figuram sanctæ Crucis, non videam spiritualibus oculis meos oculos corporales in fletu & meum cor in amore & devotione & recordatione tuæ Passionis & tuæ Virtutis, tunc me video valde vilem & valde immundum & turpem, quia meæ considerationes non sunt in pulchritudine & nobilitate tuæ gloriose Deitatis.

QVOMODO HOMO VIDEAT AL-
 terationem & mutationem, quæ fiunt in
 mundanis rebus.

1. **O** DEVS gloriose, Rex gloria, in om-
 nibus rebus potens & virtuose &
 mirabilis! Nos videmus, Domine, quòd om-
 nes res mundanæ mutantur & alterentur;
 & ista mutatio & alteratio, quam recipiunt
 in suis statibus & qualitatibus, demonstrat
 ipsas habere finem & principium.

2. Quia tempus habet principium & fi-
 nem, propterea, Domine, tempus præsens
 mutatur in præteritum, & tempus futurum
 mutatur in præsens, & tempus præteritum
 nunquam mutatur, quia jam habuit fi-
 nem.

3. Ratio, quare tempus alteratur & mu-
 tatur in hoc mundo, Domine, est defectus,
 qui est in creaturis, quæ non habent dig-
 nitatem nec fortitudinem nec potestatem
 durandi in uno statu: igitur beati sunt om-

nes,

nes, qui glorificantur in gloria paradisi, quia ibi non est ulla mutatio nec alteratio.

4. b. *Singularis Domine, in quo non est ulla mutatio nec alteratio!* Sicut per præsentiam solis absunt tenebræ, ita homines, qui à Te recipiunt gratiam, mutantur de vitiis in virtutes; & sicut per absentiam solis adsunt tenebræ, ita per absentiam bonorum operum, quæ non sunt in peccatoribus, mutantur peccatores de virtutibus in vitia.

5. Sicut Tu, *Domine*, es Dominus nobilis, gratiosus, pius & misericors, ita video, quòd amando Te & cogitando in Te homo se mutet de vanitatibus hujus mundi in virtutēs, & vadat contemplari in Te in tua gloria.

6. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia sicut per Te & per tuas Perfectiones homines mutantur de malis operibus ad operandum bona opera, ita per nostros defectus & per nostram miseriam video, quòd recedamus à bonis operibus, & nos mutemus in mala opera.

7. c. *Humilis Domine, plene pietate & gratiâ, in quo sunt omnes nostræ perfectiones!* Nos videmus, quòd homines alterentur de juventute ad senectutem, & de divitiis ad paupertatem, & de sanitate ad infirmitatem, & de sapientia ad stultitiam, & de lætitia ad tristitiam.

8. Etiam videmus, *Domine*, quòd homines alterentur de una voluntate in aliam, & de una consuetudine in aliam, & de uno placito in aliud, & de uno tædio in aliud, & de uno labore in alium, & de una intelligentia in aliam.

9. Totum istum mundum video, *Domine*, plenum alterationibus & mutationibus; quia alii plorant, alii rident, alii nascuntur, alii moriuntur, alii lucrantur, alii perdunt, & ita de mutatione in mutationem & de alteratione in alterationem omnes venimus ad mortem, & hodie sumus vivi super terram, & cras mortui ponimur sub terra.

10. d. *O Domine amate! O Domine vobiscum! O Domine honorate!* Nos videmus, quòd

quòd homines modò sint honorati, & modò inhonorati, modò satiati & modò famelici, modò laudati & modò vituperati, modò ferè mortui præ frigore, & modò ferè mortui præ calore.

11. Sicut arbor mutatur in colore secundùm tempus, in quo est, ita, *Domine*, video mutari homines in suis operibus secundùm tempus, in quo sunt; quia, sicut arbor uno tempore est viridis, & alio sicca, & uno tempore habet folia, flores & fructus, & alio non, ita homines hujus mundi uno tempore habent unam intentionem & alio aliam, & uno tempore habent unam opinionem & alio aliam, & uno faciunt unam rem & alio aliam.

12. Benedictus sis, *Domine DEVS*, qui es adeò perfectus & completus in virtutibus, quòd in Te non possit esse mutatio nec alteratio per qualitates nec per tempus nec per locum; quia tuæ qualitates non alterantur in Te, nec in tua gloriosa Essentia est tempus nec locus.

13. e. Gloria & laus sint Tibi, *Domine DEVS*,

DEVS, Pater & Domine universorum, quæ sunt; quia, cùm hoc ita sit, quòd videam nos ita mutari & alterari in hoc mundo, dicam juvenibus, ut sciant se adhuc futuros esse senes; & dicam divitibus, ut sciant adhuc venturum esse tempus, in quo erunt pauperes; & dicam sanis, quòd adhuc veniet tempus, in quo erunt infirmi; & dicam hominibus, qui vivunt super terram, quòd veniet tempus, in quo erunt mortui sub terra.

14. A principio, quo homines veniunt in hunc mundum usque ad finem, quo exeunt de hoc mundo, video, *Domine*, totum tempus plenum alterationibus & mutationibus, propter quas video ipsos sustinere multos dolores & multos labores in hoc sæculo.

15. Sicut mei oculi corporales vident mutationes & alterationes, quæ sunt in hoc mundo propter defectus, qui in eo sunt, ita, *Domine*, mei oculi spirituales vident in paradiso non esse ullam mutationem propter magnam perfectionem gloriæ, quæ est

in

in eo.

16. f. Vere Domine, qui es Lumen & Splendor omnium luminum & omnium splendorum! Omnia, quæ alterantur & mutantur de uno statu in alium, debent parùm amari & appetiari & desiderari, quia parùm durant, & citò corrumpuntur, & facilè mutantur.

17. Illas res, quæ non mutantur nec alterantur, Domine, & sunt bonæ, debet homo multùm amare & desiderare, quia valde bonæ & proficuæ sunt per hoc, quòd sint durabiles; sed illas, quæ sunt damnosæ, debet multùm timere & pavere, quia ratione durabilitatis, quam habent, sunt homini valde malæ & graves & nocivæ.

18. Cùm res temporales, Domine DEVS, sint, quæ mutantur de uno statu in alium, & res alterius sæculi sint durabiles; valde miror, quòd possit esse adeò magna stultitia in hominibus, quòd plus ament prosperitates hujus mundi, quàm prosperitates paradisi, & plus paveant labores hujus mundi, quàm labores & pœnas infernales.

nales.

19. g. *O Domine DEVS, qui es altus super omnes altitudines, & sapiens super omnes sapientias, & honoratus super omnes honorationes!* Sicut ignis alterat aquam frigidam, & eam calefacit, & facit ascendere sursum in vaporem, ita homo justus alterat hominem peccatorem; quia, si justus sit bene inamorus erga Te, & bene rationativus & verax in suis verbis, faciet de homine peccatore mendace hominem justum virtuosum & verum.

20. Rationem, quare multos homines, qui sunt in peccato, non possit justus alterare nec mutare de vitiis in virtutes, video, *Domine*, esse, quia agit negligenter & paucâ devotione; & propterea non potest alterare homines, qui sunt in magnis peccatis & gravibus culpis.

21. Sicut ignis, qui non est majoris quantitatis in suo calore, quàm aqua in suo frigore, non potest, *Domine*, calefacere aquam; ita homo justus, qui non habet majorem amorem & fervorem in amando

&

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIII. Cap. CV. 31
& laudando Te & in serviendo Tibi, quàm peccator in peccando, non potest ipsum extrahere à peccato, quidquid ei prædicet & dicat.

22. h. *Sapiens Domine juste, in quo complentur & perficiuntur mea desideria !* Ideo iste mundus est alterabilis & mutabilis, quia est introitus alterius sæculi, in quo nulla alteratio & nulla mutatio est respectu hujus mundi.

23. Quia iste mundus, *Domine*, est locus, in quo homo potest eligere bonum vel malum, quodcunque velit; ideo oportet, quòd in eo sint mutationes & alterationes; & id, quare oportet in alio sæculo non esse alterationes nec mutationes, est, quia non est locus, in quo homo possit eligere suam salvationem vel damnationem.

24. Unde, cùm iste mundus sit locus alterationis, tuus servus rogat Te, *Domine DEVS*, & petit à Te gratiam, ut eum alteres & mutes de vitiis, in quibus est, ad bona opera, & petit à Te gratiam, ut eum mutes de minoribus bonis in majora bona.

& de majoribus malis in minora mala.

25. i. *Fortis Domine super omnes fortitudines, potens super omnes potestates, virtuose super omnes virtutes!* Causa, quare nos alteramur, & quare res, quas possidemus, alterantur & mutantur, sunt defectus, qui sunt in nobis & in ipsis; nam, quia desideramus habere perfectionem, & ipsam non possumus invenire in rebus mundanis, ideo mutamus nos de uno loco in alium, & de una voluntate in aliam, & de uno statu in alium.

26. Quia non possumus invenire perfectionem in rebus mundanis, *Domine*, propterea, quando habemus aliquas earum, statim volumus habere alias, & quando eas habemus, desideramus alias, & ita non possumus manere in uno statu, nec facimus nisi quærere & laborare de uno statu in alium.

27. Non adeò laboramus, *Domine*, inquirendo perfectionem & complementum nostri desiderii in istis mundanis rebus, quòd possimus invenire id, quod quærimus,
quia

quia est impossibile invenire rem, ubi ipsa non est: igitur, quia quærimus id, quod non possumus invenire, sumus levis voluntatis & intentionis, & modò sumus amici adinvicem, & modò inimici, & modò sumus in veritate, modò in falsitate.

28. K. *O Domine DEVS, quem omnes tui populi desiderant videre & cognoscere, servire & honorare!* Non solum alteratur corpus hominis post mortem in putredinem & in pulverem & terram, sed etiam alterantur omnia, quæ homo ordinavit & disposuit in sua vita.

29. Nam omnes res, quas homo reliquit, mutantur de illa voluntate, quam ipse habuit in ordinando ipsas, cum sui confidentes non faciant id, quod ei promiserunt, imò faciant oppositum; & etiam sui amici, *Domine*, mutantur, & de amicitia, quam habebant erga ipsum, quando vivebat, alterantur in inimicitiam post mortem ipsius.

30. *Gloriose Domine!* Omnes homines mundanos superbos vanigloriosos video

34 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
mutari in fine suorum dierum; quia, si in hoc mundo fuerunt honorati, & habuerunt sufficientiam delectationum mundanarum, in altero sæculo erunt contempti & inhonorati & torti & depauperati, quia fuerunt inobedientes suo Creatori & suo Domino & suo DEO.

CAPUT CVI.

QVOMODO HOMO VIDEAT DIFFERENTIAS, quæ sunt in creaturis.

1. **D**EVUS meus & Salvator meus &
a. **D**ominus meus & principium & finis omnium mearum perfectionum! Benedictus sis, Domine, qui adeò magnam differentiam posuisti inter unam creaturam & aliam; quoniam videmus differentiam inter unam materiam & aliam, & inter unam formam & aliam; quia in natura & proprietate differunt, & una non est in esse, in quo est alia, nec est propter finem, propter quem est alia.

2. Quando

2. Quando nos respicimus formam & figuram animalium & vegetabilium, videmus, *Domine*, ipsas habere diversitatem; quia figura hominis non est similis figuræ leonis, nec figura equi est similis figuræ bovis, & sic de aliis animalibus & de omnibus vegetabilibus.

3. Similiter videmus, *Domine*, differentiam inter individua, quamvis sint sub uno genere & una specie; quia videmus, quòd Joannes non sit similis Petro, & unus equus non sit similis alteri, & una arbor non sit in similitudine nec in figura alterius: unde benedicta sit tua Sapientia, quæ posuit tot differentias in creaturis.

4. b. *Domine memorate in nostris curis & necessitatibus, qui laudaris ab omnibus populis!* Nos videmus, quòd, sicut posuisti differentias in formis & materiis & in generibus & speciebus & individuis, ita eam posueris in operibus, quæ creaturæ faciunt, quia opera, quæ homines faciunt, non sunt similia operibus, quæ bestia faciunt; & opera, quæ aves faciunt, non sunt similia operibus,

ribus, quæ homines & bestiaë faciunt, imò in omnibus est magna differentia.

5. Etiam videmus, *Domine*, quòd posueris differentiam inter id, quod facit unum individuum, & id, quod facit aliud, quamvis sint unius speciei; quia id, quod facit Petrus, non facit Paulus, nec id, quod vult unus, vult alius, nec id, quod scit unus, scit alius, nec id, quod potest unus, potest alius; & unus scit vel vult vel potest aliquid uno modo, & alius idem scit vel vult vel potest alio modo.

6. Tibi, *Domine DEVS*, sit gloria & laus, qui in omnibus rebus, quas videmus, posuisti differentiam & divisionem unius ab alia; & totum hoc fecisti, ut à nobis videaris nobilior & perfectior; quia, quò major diversitas & differentia est in creaturis, eò nobilior & mirabilior videtur tuum opus.

7. c. *Perdurabilis Domine, potens super omnes potestates, honorate super omnes honorationes!* Sicut oculis corporalibus videmus differentias, quæ sunt in creaturis &
in

in accidentibus earum, ita oculis spiritualibus videmus diversitates & differentias, quæ sunt inter tuam gloriosam Essentiam divinam & res creatas.

8. In creaturis videmus, *Domine*, esse privationem perfectionis, & in eis videmus multam fragilitatem & multam miseriam & multam tribulationem.

9. In tua benedicta Essentia, *Domine DEVS*, non videmus nec intelligimus id, quod videmus & intelligimus in creaturis, quia tua Deitas non mutatur nec crescit nec minuitur nec corrumpitur, & ipsa non diversificatur in se ipsa, nec habet parem nec æqualem nec similem: unde benedictus sis, qui ita Te elongas in natura ab omnibus creaturis.

10. d. *O Domine vere DEVS, qui liberas tuos benevolos a suis mortalibus inimicis!* Magna differentia est inter illas res, quæ possidentur, & sunt servæ & subditæ, & illas, quibus homo est subditus; quia magna differentia est inter res, quæ habent actionem, & res, quæ sustinent passionem.

11. Quia

11. Quia creaturæ, *Domine*, differunt per hoc, quòd quædam habeant actionem & aliæ passionem, per istam talem differentiam cognoscitur, quòd in eis sit defectus & privatio perfectionis; sed quia in Te non est actio & passio, propterea demonstratur tuum divinum *Esse* totum perfectum & completum in omnibus bonis.

12. Quia nos, *Domine*, devenimus in *esse*, & habemus principium, medium & finem, propterea generatur in nobis diversitas & differentia ita, quòd unus non sit alius, nec sit in alio; sed de Te non est ita, quia, qui non devenit de non *esse*, nec habet principium nec finem, & est infinitus & æternus, non potest habere in se ullam divisionem.

13. e. *Divine Rex Gloria!* Maxima diversitas & maxima extraneitas, quam homo possit videre in hoc mundo in ulla creatura, videtur & scitur, *Domine*, in gloriosa & sancta Humanitate, quam assumpsisti ex nostra Domina sancta MARIA; quia major diversitas, quæ possit esse, est de Creatore

tore

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIII. Cap. CVI. 39
tore ad creaturam; quoniam, si Creator est
infinitus, creatura est finita; & si Creator
est æternus, creatura habet principium; &
si Creator est omnipotens, creatura per se
non est potens; & si Creator habet perfec-
tionem de se ipso, creatura non potest eam
habere de se ipsa.

14. Licet ita sit, *Domine*, quòd sit
magna differentia inter corpus & animam,
quia corpus est res corporalis, & anima est
res spiritualis, adhuc est multò major inter
tuam Deitatem & tuam Humanitatem;
quoniam corpus est simile animæ in hoc,
quòd habuerit principium, & sit creatura,
& sit terminatum; sed tua Deitas & tua
Humanitas, *Domine*, non sunt sibi similes
in tempore; quia Deitati non accidit tem-
pus nec passio, & tuo corpori, dum erat in
hoc mundo, accidebant omnes istæ quali-
tates.

15. Sicut est magna differentia &
magna diversitas, *Domine DEVS*, inter
tuam Deitatem & tuam Humanitatem, ita
est magna convenientia & magna concor-
dantia

dantia inter ipsas; quia, sicut tua Deitas est in tribus Personis, quæ sunt una Essentia, ita tua Humanitas est tres res, & tres res sunt ipsa Humanitas; &, sicut tua Deitas est melior res, quæ sit in *esse*, ita tua Humanitas est melior creatura, quæ sit creata; &, sicut tua Deitas, *Domine*, creavit mundum, ita tua Humanitas per gratiam Deitatis recreavit ipsum.

16. f. *JESU* *Christe Domine*, qui tuum *servum* facis memorare magnas angustias & graves dolores, quos portasti in tua *Passione*: Nos videmus in hoc mundo magnas diversitates prosperitatum & opinionum & intentionum & saporum & colorum & vocum & verborum & aliarum rerum.

17. Quamvis ita sit, *Domine*, quòd nostri oculi corporales & aliæ nostræ sensualitates sentiant in hoc mundo multas diversitates & differentias, tamen nostræ intellectualitates non vident nec sciunt in hoc mundo nisi unum Creatorem & unum Dominum & unum Benefactorem; & propterea non debemus amare nec honorare alium,

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIII. Cap. CVI. 41
alium, nec obedire alteri, nisi Tibi tantum.

18. Totum mundum videmus, *Domine*, plenum diversitatibus & contrarietatibus; quia videmus differentiam esse inter rem causantem & rem causatam, & inter unam causam & aliam, & inter unam rem causatam & aliam, & inter unam rationem & aliam, & sic de aliis rebus.

19. g. *Domine potens super omnes potestates, nobilis super omnes nobilitates!* Omnes homines hujus mundi video esse differentes in suis honorationibus, quia Clericos & Religiosos video in hoc mundo honorari uno modo, & Reges & magnos Barones video honorari alio modo, & equites & cives & alios homines secundum gradum, in quo sunt, video honorari diversis honorationibus.

20. Sicut aliqui homines honorantur in hoc mundo, *Domine*, secundum quod convenit suo statui; ita video in hoc mundo multas vias & modos diversos, quibus honorantur, qui non debent honorari, & quibus

42 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
quibus inhonorantur, qui deberent hono-
rari.

21. *Gloriose Domine !* Sicut omnes di-
versitates sunt bonæ, dum fiunt secundum
rationem in amando & honorando homi-
nes, prout convenit, ita video ipsas esse ma-
las, dum non fiunt secundum ordinatio-
nem, quæ debet esse ; quia omnes illæ di-
versitates, quæ eunt per viam ordinationis,
veniunt à tuis Perfectionibus, & omnes il-
læ, quæ eunt extra ordinationem & ratio-
nem, veniunt à nostris defectibus.

22. h. *Misericors Domine, qui dirigis er-
rantes in viam veritatis !* Nos videmus esse
magnam differentiam inter mortem, quâ
Tu & tui Apostoli & tui Discipuli estis
mortui, & mortem, quâ nos morimur; quia
Tu es mortuus pro amore nostri, & Apof-
toli & Martyres sunt mortui pro amore
Tui; & video, quòd nos moriamur vel per-
cursum naturæ, vel propter amorem vani-
tatum hujus mundi.

23. *Pie Domine, patiens !* Magna est
differentia, quam nos videmus inter opera,
quæ

quæ fecerunt Apostoli, & opera, quæ faciunt homines, qui sunt nunc; quia Apostoli nunquam habuerunt curam de divitiis nec de honorationibus nec de prosperitatibus nec de constructione turrium nec castellorum nec palatiorum, sed tota sua cura fuit in amando & laudando Te, & in dirigendo errantes ad viam veritatis; sed mihi videtur, quòd plerique nostrum faciamus oppositum.

24. Magna est differentia, *Domine*, inter vias, per quas tui Apostoli ierunt in paradisum, & vias, per quas nos putamus ire in ipsum; quia Apostoli ierunt per vias paupertatis & angustiarum & laborum & sollicitudinum & tribulationum & mortis; sed nos putamus ire in paradisum bene comedendo & bibendo, & bene vestiendo & jacendo, & essendo bene prosperati in rebus mundanis.

25. i. *Domine aeternae, durabilis in omni tempore, vere in omnibus rebus!* Magna est differentia inter intentionem, propter quam nos creasti, & intentionem, propter quam

pu-

putamus esse creati; quia Tu creasti nos, ut simus tui laudatores & tui servi & tui benevoli, & nos putamus, quòd simus creati, ut habeamus delectationes & prosperitates, & ut amemur & honoremur in hoc mundo.

26. *Humilis Domine, plene gratiâ!*
Magna est differentia, quæ est inter id, quod nos putamus de nobis ipsis, & id, quod est in nobis; quia quilibet nostrum putat esse bonus & fidelis, & nostra opera sunt mala & diabolica, & propter ipsa devenimus falsi & mali.

27. Etiam, *Domine*, video, quòd sit magna differentia inter id, quod putamus, & id, in quod devenimus; quia, quando putamus diu vivere in hoc mundo, parùm vivimus, & quando morimur, putamus salvari, & plerique perdimur & damnamur ad perdurabiles labores.

28. K. Tibi, *Domine DEVS*, sit gloria & honor & honoratio omni tempore; quia in Ecclesiis video fieri multas figuras & diversas picturas, ut sint pulchriores, sed paucos

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIII. Cap. CVI. 45
paucos homines video, qui velint addiscere
diversas linguas, & qui eant prædicare in-
fidelibus, & eos dirigere ad veram vitam,
& extrahere ab errore, in quo sunt.

29. Si Ecclesiæ, *Domine*, quæ sunt de
lignis & lapidibus & terra, sunt pulchræ,
quia habent diversas figuras & picturas;
sancta Ecclesia, quæ consistit in animabus
hominum justorum, catholicorum, esset val-
de pulchrior, si essent homines, qui scirent
diversas linguas, & irent per omnes terras,
ut homines injusti & infideles essent lau-
datores tuæ gloriosæ Trinitatis & tuæ be-
nedictæ Humanitatis & tuæ angustiosæ
Passionis.

30. Tibi, *Domine DEVS*, ago multas
gratias tuus servus & tuus subditus; „quia
„video magnam differentiam esse inter
„opera, quæ solebam facere in mea juven-
„tute, & ea, quæ facio nunc in declina-
„tione meæ senectutis; nam, sicut tunc om-
nia mea opera erant in peccatis & in so-
cietate vitiorum, ita nunc spero per tuam
gratiam, quòd mea opera & meæ confide-
rationes

46 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
rationes & mea desideria sint ad dandum
gloriam & laudem de tua gloriosa Essentia
divina.

CAPUT CVII.

*QUOMODO HOMO VIDEAT ID,
quod vegetabilia faciunt.*

1. **O** *DEVS gloriose!* Tibi fit gloria, laus
& honor, qui creasti vegetabilia
in tali ordinatione & dispositione, quòd
per hoc, quod homines vident fieri ab ipsis,
cognoscant & percipiant magnam Bonita-
tem & magnam Virtutem, quæ est in
Te.

2. In hoc, quòd nos videamus, *Domine*,
arbores primò producere folia & ramos,
& postea flores, & post flores, fructus, datur
nobis signum & exemplum, ut primò de-
monstremus signa bonæ vitæ, & postea vi-
deantur in nobis bona opera, sicut videmus
flores post folia, & postea videtur utilitas,
quæ sequitur ex nostris bonis operibus, si-

cut videntur de floribus exire fructus.

3. Per hoc, quod arbores faciunt in se ipsis, videmus, *Domine*, ipsas esse pulchriores & delectabiliore ad videndum, & utiliores hominibus: igitur, si arbores sunt pulchræ & bonæ faciendo folia, ramos & flores & fructus, quantò plús homines sunt pulchri & boni faciendo opera charitatis, & dando laudes & honorationes suo Domino & suo Creatori & suo DEO?

4. b. *Domine vere DEVS, qui dirigis & illuminas tuos amatores ad perdurabilia remedia!* Arbores & herbæ & omnia vegetabilia sequuntur ordinationem in hoc, quod faciunt; quia de gradu in gradum producant folia & ramos & flores & fructus; sed non est ita de nobis, imò facimus contrarium; quia quotidie videmus, quòd in juventute faciamus id, quod deberemus facere in senectute, & in senectute faciamus id, quod deberemus facere in juventute.

5. Quotidie video, *Domine*, homines senes facere id, quod deberent facere juvenes,

venes, & juvenes facere id, quod deberent facere senes; & quotidie video homines facere manè id, quod deberent facere meridie, & vesperè id, quod deberent facere manè; sed de arboribus & herbis non est ita, quia in quolibet tempore anni, & in qualibet hora diei & noctis faciunt ordinatè omne id, quod faciunt.

6. Video, *Domine*, quòd arbores omni anno producant flores & fructus, per quos lætificantur & sustentantur homines; sed non est ita de me peccatore, quia triginta annis non fui in hoc mundo fructuosus, imò fui nocivus meis vicinis & meis amicis: igitur, cum arbor, quæ est sinè intellectu & ratione, sit fructuosior, quàm ego fuerim, valde verecundor & me reputo valde culpabilem.

7. c. *Humilis Domine, confortatio & spes nostra*: Quasdam arbores videmus facere fructus, quorum cortex est bonus foris, & granum, quod est intus, nihil prodest: igitur hoc est ad demonstrationem & exemplum quorundam hominum, qui exterius
sunt

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIII. Cap. CVII. 49
sunt pulchræ speciei & pulchrorum verbo-
rum, sed intrâ suum cor sunt pleni malis
cogitationibus & falsitatibus & fraudibus,
& isti sunt similes lupo vestito pelle ovi-
nâ.

8. Quædam vegetabilia videmus, *Do-
mine*, quæ faciunt totum fructum bonum
& sapidum, quia cortex & granum, & quid-
quid in eo est, est bonum & sapidum: igitur
hoc est demonstratio & signum, quòd
quidam sint homines, qui exteriùs sunt bo-
ni in suis actibus & in suis verbis, & intrâ
suum cor sunt fideles & veraces & amato-
res omnium bonorum.

9. Nos videmus, *Domine*, quòd quæ-
dam arbores sint, quæ faciunt fructum tali
modo, quòd cortex sit durus & amarus &
difficilis fractionis, & intùs sit nucleus bo-
nus & dulcis & sapidus: igitur totum hoc
est exemplum & signum hominibus, quòd
oporteat gloriam paradisi quærere & inve-
nire laboribus mundanis; quia, antequam
sint in ea, oportet eos pugnare cum labori-
bus hujus mundi, & postquam vicerint &

D

su-

50 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
superaverint ipsos, ibunt ad quiescendum
in tua gloria.

10. d. *Juste Domine, sapiens, vere, amoro-*
se! Arbores videmus facere umbram, quæ
non est durabilis, nec est unita; & hoc est
nobis signum & exemplum, quòd divitiæ
hujus mundi sint sicut umbra, quia non
sunt unitæ nec sunt durabiles.

11. Nos videmus, *Domine*, quòd quan-
do arbores sunt spissæ, & sunt bene coo-
pertæ foliis, non possit sub eis crescere ulla
herba ratione caloris solis, qui non potest
pervenire ad terram; & totum hoc est no-
bis signum & exemplum, quòd in illis, qui
habent magnum cumulum divitiarum &
prosperitatum temporalium, non tam bene
significetur cœlestis gloria, sicut in paupe-
ribus, qui habent magnas paupertates &
magnas adversitates & magnam patien-
tiam.

12. In istis signis & significationibus,
Domine, se possunt beatos reputare homi-
nes religiosi, & qui relinquunt prosperitates
hujus mundi, & pauperes patientes; quia
suæ

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIII. Cap. CVII. 51
suae paupertates & labores eis significant,
quòd, quoniam in hoc mundo habent ad-
versitatem, in alio habebunt prosperita-
tem.

13. e. *Domine vere DEVS, qui conce-
dis homini, quidquid Tibi placet, & ei pro-
hibes, quidquid Tibi displicet: Multos ho-
mines video similes arboribus, quæ, post-
quam sunt plantatæ, multò tempore non
faciunt fructum; quia nolunt facere bona
opera, usque dum sint senes; sed, si in hoc
sunt similes istis arboribus, sunt eis dissimi-
les in aliis rebus, quia ipsæ durant in hoc
mundo multò plùs, quàm ipsi.*

14. *Tibi, Domine DEVS, sit gloria &
honor semper; quia, sicut videmus corpora-
libus oculis, quòd arbores non prohibeant
ulli homini suos fructus, imò habeant eos
paratos omnibus, qui ex eis velint capere;
ita oculis spiritualibus possumus videre,
quòd Tu habeas paratum cœleste regnum
omnibus, qui velint ipsum habere.*

15. *Amabilis Domine! Fructus arbo-
rum videmus non esse bonos ad comeden-
dum*

dum omni tempore; quia, antequam sint boni, debent maturefcere, & ideo oportet, quòd homo exspectet tempus ipforum; & fimiliter video contingere in operibus hominum; quia omnia, quæ debent facere in hoc mundo, habent fuum tempus, & non debent tractari & fieri, nifi in illo tempore.

16. f. *O Liberalis Domine, magne super omnes magnitudines, sapiens super omnes sapientias!* Sicut videmus, quòd calor folis extrahat de arboribus folia & flores & fructus, fimiliter videmus, quòd magnus amor, quem habuifti erga tuum populum in die tuæ Paffionis extraxerit de tuis mifericordibus oculis ploratus & lacrymas, & de tuo Corde fufpiria & fervores & devotiones, & de tuo gloriofo Corpore fanguinem & aquam, & de tuo veraci ore laudes & honorationes, quas fecifti cœlefti Patri.

17. *Domine fancte, gloriofe!* Magnum frigus hyemis videmus, quòd restringat terram & arbores, propter quam reftriktionem arbores perdunt fua folia; & fimiliter accidat

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIII. Cap. CVII. §3
dat hominibus peccatoribus, qui sunt tam
frigidi in tuo amore, quòd de suis oculis
non exeant ploratus & lacrymæ pro pecca-
tis, quæ fecerunt, nec de suis cordibus sus-
piria & pœnitudines, nec de suis oribus ve-
ritates & laudes ad serviendum Tibi, & ad
honorandum & benedicendum Te.

18. *Liber Domine, plene gratiâ!* Sicut
bona arbor, quæ est pulchra & florida &
onerata foliis & floribus & fructibus, de-
monstrat in sua pulchritudine nobilitatem
sui Creatoris, ita homo bonus & religiosus,
quando est fidelis & patiens & inamoratus
in tuo servitio, demonstrat in suis virtuti-
bus & in suis signis nobilitatem & bonita-
tem sui Domini & sui Creatoris.

19. g. *O Domine DEVS, qui purificas
peccatores & eos mundas à suis gravibus
peccatis!* Nos videmus arbores, antequam
faciant fructus, facere folia & flores; & si-
militer nos, antequam possimus facere bona
opera, debemus prius Te amare & timere
& honorare: igitur, si eveniat, quòd ante
meam mortem non Te amaverim & lau-
daverim

daverim & honoraverim & timuerim, ero similis malæ arbori, quæ non dat fructum nec ante suos flores & sua folia, nec post.

20. *Vere Domine!* Nos videmus quasdam arbores esse, quæ, si non ferant fructum in uno anno, ferant ipsum in alio; sed non est ita de nobis, quia, si non veniamus ad mortem cum fructibus bonorum operum, nunquam poterimus emendari.

21. Nam videmus, *Domine*, quasdam arbores esse, quæ retinent folia toto anno, & aliæ non: unde illæ, quæ non retinent folia toto anno, significant vanitatem huius mundi, in quo sumus; quia quandoque sumus nudi & quandoque induti, quandoque divites & quandoque pauperes, quandoque facimus bona opera & quandoque mala; sed illæ arbores, quæ retinent folia toto anno, significant gloriam alterius sæculi, in quo homo est semper gloriosus & plenus omni complemento.

22. h. *Domine vere DEVS, qui audis & vides & scis omnia!* Quasdam arbores videmus in hoc mundo, de quibus homo
facilè

facile potest colligere fructus, & alias, de quibus non potest colligere fructus, nisi cum magno labore; unde arbores, de quibus homo facile potest colligere fructus, significant hunc mundum, cujus delectationes homo facile potest consequi; & arbores, de quibus cum labore debet colligere fructus, significant aliud sæculum, cujus gloriam oportet, quòd homo consequatur cum labore & fatigatione.

23. Sicut videmus, *Domine*, arbores quolibet anno renovari in foliis & floribus & fructibus, ita videmus istum mundum similem arbori; quia non facit nisi renovari de una generatione in aliam, & de quibusdam consuetudinibus in alias, & de quibusdam rebus in alias.

24. *Domine virtuose!* Sicut convenit, quòd arbores, quas homo plantat, nutriantur per calorem & humiditatem, ita convenit, quòd homines nutriant suas proles cum amore & timore; quia, sicut arbores non possent crescere & multiplicari sinè calore & humiditate, ita nulla proles bene

nu-

56. *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
nutriretur, nisi educaretur in tuo amore
& timore.

25. i. *Placens Domine, excellens, abundans omnibus bonis!* Quando arbores generantur, statim ascendunt & elevant se, & demonstrant suam pulchritudinem super terram; sed non est ita de nobis; quia, dum cogitamus in vanitatibus hujus mundi, & negotiamur in eis, non elevamus nostrum cor à terra, imò tenemus ipsum in terra, & propterea nostra opera inclinantur ad ipsam.

26. *Arbores, Domine,* non se ostendunt hominibus nisi tales, quales sunt, nec fingunt in se, nec se jactant de ulla pulchritudine & bonitate, quæ non sit in eis; sed non est ita de nobis, quia turpitudines, quas habemus in nostro corpore, abscondimus & cooperimus, & ornamus & vestimus nos pulchris vestibus, ut videamur pulchri; & propterea ostendimus nos aliis tales, quales non sumus.

27. *Ratione hujus deceptionis, Domine,* quam corporales oculi recipiunt per
pul-

pulchras vestes, quibus homo induitur, quæ abscondunt turpitudines corporis, & significant corpus esse pulchrum, quando video aliquem virum vel mulierem indui vel ornari pulchris vestimentis, spiritualibus oculis respicio turpitudines & immunditias sui corporis, quæ sunt sub vestimentis.

28. K. *Æterne Domine, perdurabilis in omni tempore!* Nos videmus id, quod exit de arboribus esse pulchrum & mundum & utile & pulchri odoris & boni saporis & pulchri aspectus; sed id, quod exit de nobis, sunt turpitudines & foetores horribiles ad videndum, quia de oculis & auribus & naribus & ore & aliis locis inferioribus non exeunt nisi immunditiæ, quas videre & nominare verecundamur.

29. Quando arbores, *Domine*, perdunt potentiam vegetativam, & totaliter siccantur, adhuc sunt bonæ & utiles, quia de ligno facit homo naves, & tegit palatia, & de ipso facit ignem; sed, postquam corpus humanum est mortuum, nihil valet, imò propter magnam vilitatem, quam habet

in

58 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
in se ipso, sepelitur, ne det fastidium gen-
tibus.

30. *Arbores, Domine*, video, quòd,
postquam sint siccae, plus durent, quam
humanum corpus; quia istud statim putre-
fit & corrumpitur post suam mortem, &
qui iret ad sepulchra post breve tempus,
non inveniret nisi ossa putrida & foetida
& à vermibus corrofa; & tota ista vilitas
devenit in ipsum, quia in Adamo fuit ino-
bediens suo DEO.

CAPUT CVIII.

*QUOMODO HOMO VIDEAT ID,
quod faciunt bestiae in hoc mundo.*

1. *Divine Domine*, magne super omnes
a. **D***magnitudines!* Tibi debemus gra-
tias agere, qui nobis dedisti visum, per quem
possimus sumere exemplum in hoc, quod
faciunt bestiae; quia, sicut bestiae quærunt
in vegetabilibus folia & flores & fructus, ut
ex eis sumant vitam; ita, si nos essemus
sa-

Vo. II. Lib. III. Dist. XXIII. Cap. CVIII. 59
sapientes, in Te quæreremus & colligere-
mus Virtutes & Bonitates, ut ex eis vive-
ret nostra anima.

2. Licet formica, *Domine*, sit parva &
misera bestiola, tamen dat nobis magnum
exemplum sapientiæ; quia in æstate, quan-
do est tempus congregandi, congregat tan-
tum cibi, quantum ei sufficit in hyeme,
quando non est tempus congregandi; &
hoc est nobis exemplum, ut faciamus in
hoc mundo bona opera, quibus possimus vi-
vere in altero sæculo.

3. Bestias indomitas videmus, *Domine*,
dare nobis exemplum, ut fugiamus à ten-
tationibus diabolicis & à vanitatibus hujus
mundi, sicut ipsæ fugiunt à venatoribus &
insidiatoribus: & sicut bestia indomitæ re-
currunt ad nemora & loca deserta & inha-
bitata, ita nos deberemus recurrere ad Te;
quia in Te non sunt nostri inimici nec nos-
tri defectus.

4. *Domine vere DEVS, qui promittis
& das gloriam & benedictionem beatis!* Nos
videmus, quod bestia pugnent & se de-
fendant

defendant cornibus & dentibus & unguibus; & hoc est nobis exemplum, ut, sicut ipsæ se defendunt cornibus, quæ portant in capite, ita defendamus nos à tentationibus verâ fide, quæ est caput omnium aliarum virtutum; & sicut ipsæ se defendunt dentibus, ita defendamus nos à mendaciis veritate; & sicut ipsæ se defendunt unguibus, ita defendamus nos ab avaritia largitate extendendo manus ad pauperes.

5. Nos videmus, *Domine*, quòd bestia, quando eunt per viam, frequenter elevent & inclinent caput sursum & deorsum, quia rectè non possent incedere; & hoc est nobis exemplum, ut, si velimus ire ad tuam gloriam, frequenter elevemus nostram mentem ad tuam Altitudinem & Bonitatem & ad tuas Perfectiones, & eam inclinemus ad cogitandum & percipiendum nostras fragilitates & nostros defectus.

6. Nos videmus, *Domine*, quasdam bestias perquirere cibum de die, & dormire de nocte, & alias ipsum perquirere de nocte, & dormire de die; & hoc est nobis exem-

exem-

exemplum, ut, dum sumus juvenes, operemur tali modo, quòd possimus quiescere in nostra senectute, & dum sumus in hoc sæculo tenebroso, operemur, ut possimus quiescere in illa gloria, quæ est sinè fine.

7. c. *Æterne Domine sapiens, gratiose, plene & perfecte in omnibus bonis!* Nos videmus, quòd bestia faciant Regem, & ipsum faciant de nobiliori & fortiori bestia, quam possunt invenire; & videmus, quòd omnes eum timeant, & sint ei subjectæ: igitur hoc est nobis exemplum, ut debeamus habere Regem, quem amemus & timeamus, & cui obediamus; & similiter est Regibus & Principibus exemplum, ut debeant esse meliores & nobiliores & meliorum consuetudinum, quàm alii homines.

8. Nondum vidi, *Domine*, in mea vita, quòd leo se fecerit servum asini, nec asinus se fecerit dominum leonis; sed bene vidi, quòd mea anima se fecerit servam & captivam mei corporis, & meum corpus se fecerit dominum meæ animæ; & propterea valde miror, quòd ego sim melior creatura, quàm

62 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
quàm bestiaë, & faciam res inconvenientio-
res, quàm ipsaë.

9. Nos videmus, *Domine*, quòd quan-
do bestiaë esuriunt, inquirant, quomodo
possint comedere, & postquam sint satura-
taë quiescant, sed nos sumus peioris condi-
tionis; quia, quando esurimus, non quies-
cimus, donec saturemur, & quando sumus
saturati, non video, quòd quiescamus, imò
laboramus, sicut si non comedissemus.

10. d. Tibi, *Domine DEVS*, qui scis
omnia, detur laus & gloria & benedictio
semper; quia, sicut videmus, quòd homo
oneret bestias sibi subjectas quâcunque re
velit, ita video, quòd Tu, qui es noster Do-
minus, oneres nos quâcunque re velis; quo-
niam quosdam video obligatos ad prædi-
candum, alios ad faciendum eleemosynam,
alios ad contemplandum, alios ad arandum,
& sic de aliis officiis.

11. Multoties video, *Domine*, bestias
adeò oneratas, quòd præ magno onere,
quod portant, non faciant nisi sudare,
anhelare & gemere: igitur, cum nulla bes-

tia

tia sit adeò onerata ullo onere, sicut ego sum oneratus amore, quem erga me habuisti, quomodo potest esse, quòd mei oculi non plorent & meum cor non suspiret & meum corpus non decurrat sudore?

12. Sicut nostri oculi corporales vident, *Domine*, quòd laniones ligent bestias, & eas sibi subjiciant & occidant quâcunque morte velint; ita nostri oculi spirituales possunt videre & memorare, quòd judæi Te occiderint morte, quâ voluerunt.

13. e. *Patiens Domine, humilis, liber, amorose!* In curiam Regis vidi intrare quendam canem extraneum, scabiosum, senem, macrum valde turpis figuræ, & vidi Regem & ministros nolle ipsum admittere, & omnes canes illius curiæ ipsum mordere & ejicere ex curia: unde, quando hoc vidi, statim memor fui mei, & consideravi, quòd, si senescam in peccato, & moriar in ipso, & putem intrare in gloriam, ita ejiciar ex illa, sicut canis fuit ejectus ex curia Regis, & tractabor à dæmonibus, sicut ille canis fuit tractatus & morsus à canibus Regis.

Regis.

14. Bestias video, *Domine*, propter timorem gentium se abscondere in cavernis & in speluncis; attamen video, quòd eis nihil proffit, quia homo cum aliis bestiis eas extrahit; & similiter, accidit hominibus falsis deceptoribus, quia falsitatibus & sophismatibus & astutiis occultant suas falsitates & suas malitias, attamen non eas adeò occultant, quòd non reveletur & demonstretur deceptio & falsitas ipsorum.

15. Nos videmus, quòd, quando homo imponit bestiae onus, ipsum liget, ut bestia securius incedat, & ne onus cadat; & similiter ligasti, *Domine*, onus, quod imposuisti nobis cum aspectu figuræ sanctæ Crucis, quæ nobis repræsentat gravem Passionem & angustiosam Mortem, quam sustinuisti pro amore nostri.

16. f. *Domine, qui custodis & defendis omnes tuos benevolos ab omnibus malis!* Pejor bestia, quæ sit in hoc mundo, videtur mihi esse corpus hominis; quia nullum corpus ullius bestiae adeo nocet & contrariatur suæ animæ,

Vo. II. Lib. III. Dist. XXIII. Cap. CVIII. 65
mæ, sicut corpus nocet & contrariatur ani-
mæ rationali.

17. Nam corpus humanum, *Domine*,
ratione naturæ potentiæ sensitivæ se movet
plús ad luxuriam & gulam & proditionem
& fraudem & ad mala opera, quàm corpus
ullius animalis.

18. Non adeò aspicio nec inquiero,
Domine; quòd ex ulla parte possim intelli-
gere & videre, quòd ulla bestia se velit no-
bilitare supra suum Dominum, nec quòd
se appetiet plús, quàm valeat; & quotidie
video, quòd homines se extollant contra
suum Dominum, & quòd putent plús va-
lere, quàm valeant.

19. g. *O vere DEVS, gratiose, amo-
rose, in quo stant nostræ recordationes &
nostra desideria!* Nos videmus, *Domine*,
quòd illi homines, qui sunt contracti vel
curvi vel defectuosi in aliquo membro, si
derideantur vel inhonorentur ratione de-
fectus, quem habent in suis membris, hoc
plús ægrè ferant & plús sentiant inhonora-
tionem, quàm alii non defectuosi, si inho-
norentur

norentur & vilipendantur.

20. Homines non integri & impotentes corpore, *Domine*, quò plus sunt defectuosi in suis membris, eò plus desiderant honorari & appetiari super alios homines; & hanc irrationalitatem non video esse nisi in homine; igitur quæ bestia est adeò contraria rationi sicut homo?

21. Ratio, quare corpus hominis peccatoris, *Domine*, plus contrarietur in natura animæ, quàm corpus ullius bestiae, est nobilitas potentiae rationalis; quia, sicut ista potentia est melior creatura, quæ fit, ita convenit, quòd illa res, quæ est ei contraria & inimica, sit vilior, quàm ulla bestia.

22. h. *Domine vere DEVS*, qui benedictis & beneficiis & glorificas omnes illos, quos vis! Pejor bestia, quæ fit in hoc mundo, video, quòd sit homo; quia non video ullam bestiam occidere se ipsam, & video aliquos homines occidere se ipsos; nec video ullam bestiam occidere tot individua suæ speciei, quot occidit homo; nec video ul-

lam

lam bestiam tot modis occidere bestias & aves & pisces, sicut homo: igitur quæ bestia est adeò mala, sicut homo?

23. Non video, *Domine*, quòd ulla bestia adeò se profundet in natura bestialitatis, sicut homo; quia homo quotidie facit picturas & sculpturas, & se ornat & pingit, & quotidie desiderat honorari & sibi serviri, & quotidie facit res, quæ nihil valent, & quæ ei non sunt necessariae; sed non video, quòd ulla bestia faciat ullam rem, quâ non indigeat, & quæ ei sit superflua.

24. Valde miror, *Domine*, quomodo possit esse in homine tanta bestialitas, cum Tu eum creaveris majus & nobilius animal, & ipse se fecerit magis bestialem & magis nocivum & magis culpabilem omni animali.

25. i. *Rex gloriose, memorate ab omnibus populis!* Non video, *Domine*, ullam bestiam facere malum beneficienti sibi, nec video ullam bestiam amare illas bestias, quæ ipsi faciunt malum; sed homo est res adeò bestialis,

tialis, quòd illas res, quæ ipsi faciunt bonum, & quæ ipsi sunt utiles, dis-amet, & faciat eis malum, & illas res, quæ sunt ei nocivæ & inimicæ, amet: igitur quæ res est magis bestialis, quàm homo?

26. Sicut homo est magis bestialis, quàm ullum aliud animal, ita, *Domine*, Tibi placuit, quòd ipse sit magis remotus à natura bestiali, quàm ullum aliud animal; & hoc est ratione potentiæ sensitivæ & potentiæ rationalis, quæ discordant in natura.

27. Igitur secundùm hoc est homo, *Domine*, magis bestialis, quàm bruta ratione potentiæ sensitivæ, ratione cujus facit res magis bestiales; & ratione potentiæ rationalis est magis remotus à bestialitate, quàm bruta; quia hæc potentia inducit eum ad faciendum res, quas non possunt facere animalia ipsam non habentia.

28. K. *Desiderate Domine, amate & volite ab omnibus hominibus!* Bestias video semper manere in *esse* bestiali, sed homines video quandoque esse in *esse* bestiali & quan-

doque

doque in *esse* humano: sunt homines in *esse* bestiali, quando sequuntur naturam sensualitatis plús, quàm naturam intellectualitatis; & sunt in *esse* humano, quando sequuntur naturam intellectualitatis plús, quàm naturam sensualitatis.

29. Quoties homo, *Domine*, est tuus servus, sequitur intellectualitatem, per quam est homo; & quoties est Tibi inobediens, sequitur sensualitatem, per quam est bestia: igitur, quoties homo facit opus humanum, accedit ad *esse*, quia dignum est, quòd homo serviat suo Domino; & quoties facit opus bestiale, accedit ad non *esse*, quia dignum est, quòd omne opus sit in non *esse*; dummodo sit contra suum Creatorem & suum Dominum.

30. Cúm ego, *Domine*, devenerim in *esse* bestiale per peccatum & culpam, & sim recreatus in *esse* humano per tuam sanctam Passionem, precor Te, ut mihi des gratiam sequendi naturam, per quam homo est homo, & fugiendi à sequendo naturam, per quam homo est bestia; ut sim dignus esse in

præ-

CAPUT CIX.

*QUOMODO HOMO VIDEAT ID,
quod faciunt aves in hoc mundo.*

1. **D**EVUS gloriose, honorate super omnes
a. **D** honores! Tibi, Domine, fiat reve-
rentia & laus, qui creasti aves in tali modo
& dispositione, quòd in hoc, quod vide-
mus eas facere, possimus sumere exem-
plum & formam in faciendo bona opera, &
in evitando mala.

2. Quia Tu, Domine, amas homines
super omnia animalia, ideo voluisti, quòd
attendamus ad ea, quæ faciunt aves, ut ha-
beamus occasionem percipiendi in eis tuam
Bonitatem & tuam Magnitudinem.

3. *Humilis Domine, plene gratiâ!* Nos
videmus, quòd falco vincat & occidat gru-
em, qui est multò major avis, quàm sit ipse:
igitur hoc est mihi exemplum; quia, si fal-
co vincat majorem se, etiam ego possum
vin-

vincere & constringere me ipsum, cum ita sit, quod non sim major me.

4. b. *Domine amate, Domine laudate, Domine invocate ab omnibus populis!* Nunquam vidi avem, quæ vincat & superet se ipsam cum naturâ sui ipsius; sed bene vidi multos homines, qui vincunt & constringunt se ipsos cum natura sui ipsorum: igitur ratio, quare aves non vincant se ipsas cum se ipsis est, quia non habent naturam, quæ contrarietur voluntati ipsarum, sicut habent homines.

5. Nam homines, *Domine*, qui sunt Religiosi & boni Christiani, vincunt potentiâ rationali potentiam sensitivam; & quia quælibet harum potentiarum est in eis, ideo vincunt se ipsos cum re, quæ est sui ipsorum.

6. Si aves minores vincant & superent majores, *Domine*, mea potentia rationalis, quæ est major & melior creatura, quam potentia sensitiva, bene poterit, si velit, ipsam vincere & mortificare.

7. c. *Invocate Domine, memorate omni tempore,*

72 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
tempore, abundans omnibus bonis! Nos videmus, quòd aquila ad vincendum & superandum alias aves se elevet versús cœlum, ut habeat sub se aves, quas vult vincere & superare: igitur hoc est nobis exemplum, ut elevemus nostras considerationes & nostra desideria ad Te ad vincendum vanitatem hujus mundi, quæ stat in istis rebus inferioribus.

8. *Misericors Domine!* Nos videmus, quòd sint aves, quæ nunquam vadunt solæ, sed semper cum aliis, sicut sunt columbæ & sturni; attamen plús valet astur, qui vadit solus, quàm valeant illæ: igitur hoc nobis significat, quòd sint multi homines pauperes incedentes soli, & multò plús valeant, quàm multi divites incedentes cum magna societate personarum.

9. Nos videmus, *Domine*, quòd aquila, quia est Regina aliarum avium, altiús volet, quàm aliæ aves: igitur hoc nobis significat, quòd nostra lex, quæ est altior & subtiliús elevatur ad loquendum de tua Deitate, & ad contemplandum ipsam, quàm
alia,

aliæ, sit melior & nobilior omnibus aliis.

10. d. O Domine DEVS, qui amavis magno amore à multis beatis Religiosis & à multis beatis Confessoribus! Nos videmus, quòd vultur vadat quærere cibum in bestiis mortuis foetidis & putridis: igitur hoc est exemplum peccatorum, qui totam suam felicitatem quærunt in vanitatibus & foetoribus & in rebus, in quibus est defectus veræ vitæ.

11. Nos videmus, Domine, quasdam aves, quæ in hyeme relinquunt suam terram propter magna frigora, & eunt ad quærendum locum temperatum, in quo possint vivere: igitur hoc est nobis exemplum, ut separemus nostras considerationes à vanitatibus hujus mundi, in quibus est nostra mors, & eas elevemus ad contemplandum & cogitandum in tuis Nobilitatibus, quæ sunt nostra vita & nostra beatitudo.

12. Gallinam videmus, Domine, esse avem, quæ comedit de magis contrariis & diversis rebus, quàm ullæ aliæ; & tamen nulla avis est adeò utilis & necessaria homini,

74 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
mini, sicut ipsa; igitur ex hoc significatur,
quòd homo, qui comedit de pluribus &
magis diversis rebus, quàm ullum animal;
sit magis nobilis & necessarius, quàm ul-
lum aliud animal.

13. e. *O gloriose Domine, qui laudaris &
glorificaris ab omnibus linguis!* Nos vide-
mus, quòd aves non seminent nec congre-
gent nec custodiant victualia, de quibus vi-
vant, & tamen vivunt: igitur hoc est ex-
emplum nobis, qui congregamus & custo-
dimus; & si moriamur, non sufficit nobis
tempus, ut possimus comedere & degluti-
re omnia, quæ congregamus & custodi-
mus.

14. Nos videmus, *Domine*, quòd ho-
mo instruat & domet aves, quin illas per-
cutiat, nec inferat eis ullam poenam, & fa-
ciendo eis placita eas nutrit, sicut vult:
sed non fuit ita de me, quia ad instruen-
dum & domandum me non valuerunt ver-
bera nec poenæ, nec placita, nec adhorta-
tiones nec astutiæ, quæ mihi fierent.

15. *Vere Domine!* Nos videmus, quòd
avibus

avibus multò major labor sit volare sursum, quàm deorsum; quia ad volandum deorsum non oportet nisi complicare alas, & per se ipsas descendunt: igitur hoc est nobis exemplum, quòd debeamus habere multò majorem laborem ad eundum in paradisum, quàm ad eundum in infernum; quia ad eundum in infernum non oportet aliud facere, quàm sequi nostram naturam, quæ est magis parata ad faciendum malum, quàm ad faciendum bonum.

16. f. *Domine vere DEVS, qui completes & perficis omnia, quæ promittis! Nos videmus, quòd, quando astur vel accipiter est solutus, habeat libertatem volandi & eundi quòcunque velit, & tamen educatio & bona, quæ ab homine recepit, faciunt ipsum redire in potestatem & captivitatem ipsius hominis; & totum hoc video esse nobis exemplum, ut simus in hoc mundo servi & captivi ad dandum laudem de tua Bonitate & de tua Passione ratione magni amoris, quem habuisti erga nos, qui debet mortificare libertatem, quam habemus in*
fa-

faciendo mala opera.

17. Nos videmus, *Domine*, quòd falco, quem Rex mittit in gruem vel in alias aves ad capiendum eas, non venetur intentione placendi Regi & suis ministris, sed intentione comedendi; & hoc nobis significat, quòd sint multi homines precantes Te plus, ut eis des, quàm ut Tibi serviant, & Te laudent & ament. Etiam videmus, *Domine*, quòd Rex non det famem falconi, ut eum torqueat, sed ut falco ei faciat placitum in sua venatione, & hoc est nobis significatio, quòd non des nobis tribulationes in hoc mundo, ut torqueas nos, sed ut in nostris defectibus cognoscamus tuas Perfectiones & vanitates hujus mundi.

18. Nos videmus, *Domine*, quòd galli, quando vident claritatem auroræ, statim incipiant cantare, & lætari; & hoc faciunt, quia exeunt à tenebris noctis, & veniunt in splendorem diei; igitur hoc est nobis exemplum, ut simus læti & contenti, quando eximus de tenebris hujus mundi & venimus ad splendorem tuæ gloriæ; sed nos per

per

per peccatum video, quòd faciamus oppositum.

19. g. *O Domine vere DEVS, qui es Principium omnium principiorum & perfectio omnium perfectionum!* Laudatus & benedictus sis Tu; quia videmus, quòd philomela, quàmvis sit incarcerata & clausa in aviario, tamen non cesset cantare & lætari, quantò meliùs potest; & hoc est nobis exemplum, ut lætemur & exulemus & consolemur, quamvis simus capti & incarcerati in tribulationibus & laboribus hujus mundi, & speremus venire ad gloriam & benedictionem sanctorum paradisi.

20. *Gloriose Domine!* Nos videmus, quòd auceps attrahat aves cum aliis similibus avibus; & hoc est nobis exemplum, quòd sancta Crux faciat nobis signum figuræ humanæ, ut eamus ad recipiendum martyrium pro amore Tui, quoniam Tu ipsum recepisti pro amore nostri; sed tamen non video ullum hominem, qui scienter eat ad moriendum pro amore Tui.

21. Si auceps capit in suis retibus aves,

non

non est mirum, *Domine*, quia aves non habent cognitionem de deceptione, quam aucupus eis facit, sed, quòd homines cadant in deceptionem & in laqueum dæmonis & mundi, hoc est valde mirum; cùm videant & cognoscant deceptionem & falsitatem ipsorum.

22. h. *Domine vere DEVS, qui defendis & liberas ab omnibus malis tuos benevolos*: Nos videmus quasdam aves in cantu imitari alias; & ego quotidie video bonos homines religiosos die & nocte laudare & benedicere Te, & non sum talis, quòd velim eos imitari in hoc, quod faciunt; imò imitor bestias, quæ sunt sinè intellectu & ratione.

23. *Honorate Domine*! Nos videmus, quòd aves sint alacriores & vegetiores in tempore veris, quàm in alio tempore, quia est pulchrius tempus anni: igitur hoc est nobis exemplum, ut in quadagesima jejunemus & ploremus & confiteamur, quia est utilius tempus anni, & quia in illo tempore habuisti in hoc mundo plus laboris & passionis,

fionis, quàm in ullo alio.

24. Omnes aves & bestias sylvestres videmus, *Domine*, in tribulatione & labore propter Reges & magnos Dominos & homines mundanos, qui die & nocte non sinunt eas stare in pace in planis neque in montibus neque in sylvis neque in locis desertis nec in habitatis, quia ex omni parte eas persequuntur die & nocte, unde ipsis plús valeret eas relinquere & contemplari in Te, & dare laudem de Te.

25. i. *Domine, qui edificasti & construxisti omne, quod est!* Multoties vidi, quòd ardea, quando fugit à falcone, ascendat sursum versús cœlum, ne falco possit eam capere; & hoc est mihi exemplum, ut, quando velim elongare meas cogitationes & meas considerationes à vanitatibus hujus mundi, elevem meam mentem ad tuas Nobilitates & ad tuas Altitudines.

26. *Amorose Domine!* Nos videmus, quòd apes colligant de diversis floribus mel & ceram; & videmus, quòd homo de cera faciat lumen, & de melle condat cibos & fanet

sanet vulnera; & hoc est nobis exemplum, ut de istis rebus temporalibus colligamus bona opera, dum sumus in hoc mundo, ut in altero sæculo illuminemur & quiescamus in tua gloria.

27. Quando astur est bene educatus, & homo ostendit ei escam, statim venit ad suam manum, & hoc est nobis exemplum, *Domine*, ut anhelemus ad Martyrium pro tuo amore, quoties figura Crucis repræsentat nostris oculis tuam gravem Passionem & tuam angustiosam Mortem.

28. K. Tibi, *Domine DEVS*, sit gloria & laus & benedictio semper, qui repræsentas nostris oculis corporalibus formam sanctæ Crucis, quoties videmus aves volare per aerem.

29. „Tuus subditus, *Domine*, & filius
 „tuæ foeminæ petit à Te gratiam, & rogat
 „Te, ut, quoties videbit, quòd aves repræ-
 „sentent suis oculis figuram sanctæ Crucis,
 „memoret gravem dolorem, quem sustinu-
 „isti in Cruce; & istas preces Tibi facit, ut
 „moriatur pro tuo amore, & ut in die re-
 „surrectionis

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIII. Cap. CX. 81
„surrectionis surgat beatus de suo sepul-
„chro.

30. Nos videmus, *Domine*, quòd Tu renoves quolibet anno avibus suas plumas: unde ego peto à Te gratiam, ut me purifices & mundes à meis gravibus peccatis & à meis gravibus culpis, & me renoves in bonis operibus & in bonis cogitationibus & meditationibus, ut sim dignus esse tuus servus & laudator tuæ nobilis *Essentiæ* divinæ.

CAPUT CX.

QUOMODO HOMO VIDEAT ID,
quod faciunt Clerici.

1. **O** *DEVS* fortis, potens, amorose!
a. **O** Tibi, *Domine*, sit gloria & laus, qui honorasti Clericos in hoc mundo super omnes homines; quia videmus, quòd ipsi conservent sanctam Fidem per hoc, quòd tractent plus de sacra Scriptura, quàm ulli aliorum hominum.

F

2. Nos

2. Nos videmus, *Domine*, quòd honoraveris nostrum sanctum Patrem apostolicum super omnes homines hujus mundi; quia ipse tenet tuum locum in terra, & ei dedisti potestatem solvendi & ligandi in coelo & in terra; & vis, quòd mandata, quæ ipse facit, obligent omnes homines hujus mundi: unde benedictus sis Tu, qui adeò vis honorare tuam creaturam.

3. In honoratione, quam Tu, *Domine DEVS*, facis Papæ, videmus, quòd honores totam humanam naturam; quia magna honoratio est, quòd homo sit tuus Locum-tenens in terra: igitur, cùm unum solum hominem elegeris, ut sit super nos omnes, in hoc manifestatur, quòd sis unus solus DEUS, unus Dominus, unus Creator, unus Benefactor, unus Salvator.

4. b. *Ordinator Domine, qui tenes in potestate omnia!* Clericos videmus esse in diversis officiis & in diversis gradibus; quia quidam sunt Diaconi & quidam Presbyteri, quidam sunt Canonici & quidam Episcopi vel Archi-Episcopi, quidam sunt Clerici

rici Parochiales, & alii Religiosi.

5. Sanctos Religiosos, *Domine*, videmus habere diversos ordines; quia quidam sunt Fratres Minores & quidam Prædicatores, alii sunt Monachi, alii Eremitæ, & alii Clerici Regulares.

6. Similiter videmus, *Domine*, mulieres Religiosas habere diversos ordines, & intrare in reclusionem, in qua manent toto tempore suæ vitæ contemplando in tua gloria & in tua benedictione.

7. c. *Sanctificate Domine!* Tibi fiant gratiæ, qui honorasti Clericos in hoc, quòd eos sumpseris ad serviendum Tibi, & ad laudandum & benedicendum Te, & ad tenendum in potestate sanctam Fidem: unde, sicut homo honorat arcam divitiarum ratione ipsarum, ita video honorari Clericos, quia in eis conservatur sancta Fides Romana.

8. Quia apud Christianos, *Domine*, sunt plures Clerici, quàm apud ullos alios populos, & Clerici Christianorum sunt plus honorati & plus potentes & sapientes & religiosi,

ligiosi, quàm ulli aliorum Clericorum; per hoc probatur & significatur, quòd nostra Lex plús valeat, quàm omnes aliæ; quoniam illam legem oportet esse meliorem secundum veram sapientiam, quæ à pluribus & à melioribus hominibus conservatur & tractatur.

9. Quando nos videmus, *Domine*, quòd nostri Clerici sint magis devoti & magis religiosi, quàm alii Clerici, „valde „magnum signum est nobis Laicis, quòd „sancta Fides Christiana sit vera: igitur benedicti sint omnes Clerici, qui per bona „opera prædicant suis ovibus.

10. d. *Misericors Domine, in quo est totum nostrum bonum & nostra salus!* Nos videmus, quòd Episcopi & Prælati sanctæ Ecclesiæ habeant magnos redditus & magnos thesauros, de quibus dant pauperibus pro tuo amore in tempore necessitatis.

11. Ratione magnæ potestatis, quam habent Prælati sanctæ Ecclesiæ, *Domine*, & ratione magni honoris, in quo sunt, sancta Ecclesia est fortior & potentior contra

tra

tra infideles & hæreticos, qui pugnant ad destruendum ipsam, quàm esset, si Prælati essent pauperes & inhonorati inter nos.

12. Nos videmus, *Domine*, quòd nostri Clerici & Religiosi conentur, quantum possunt, esse pleni sapientiâ, ut possint dirigere gentes ad bene operandum, & ut possint confundere & vincere inimicos sanctæ Fidei gloriosæ.

13. e. *O Domine DEVS, qui es liberalis & abundans omnibus bonis!* Nos videmus, quòd Clerici se non ingerant in agriculturam nec in mercaturam nec in alia officia, sicut faciunt laici; & hoc est, ut possint meliùs laudare & benedicere Te in Ecclesiis, & ut meliùs possint habere occasionem essendi sapientes in sacris Scripturis.

14. *Humilis Domine, plene gratiâ!* Nos videmus, quòd Clerici non habeant uxores, ne sint occupati ratione prolium & expensarum, quas deberent facere; & videmus, quòd elegerint castitatem, ut sint magis expediti ad serviendum Tibi, & ad amandum Te: etiam videmus, *Domine*, quòd sancti

Re-

Religiosi induantur humilibus vestibus ad dandum exemplum humilitatis, quam habuisti in tuis vestibus.

15. Nos videmus, *Domine*, quòd Clerici in Ecclesiis cantando dent laudes de Te; & videmus, quòd gentes eis dent oblationes & osculentur manus ipsorum faciendo Tibi obsequium; & videmus, quòd Clerici nobis prædicent & nos corripiant, & nostras confessiones excipiant, & nos inamorent de Te. Etiam videmus, *Domine*, quòd Clerici in matrimonium nos conjungant ad significandum Matrimonium, quod Tu fecisti in paradiso; & videmus, quòd ipsi nos sepeliant, quando sumus mortui, & orent pro nobis.

16. f. *Domine vere DEVS, qui sustines & gubernas omnia!* Nos videmus, quòd unus lapis pretiosus plús valeat, quàm centum vel mille aliorum; & similiter videmus, quòd unus Clericus valeat plús, quàm centum vel mille; quia, sicut quidam pretiosi lapides plús valent, quàm alii ratione suæ pulchritudinis & virtutis, ita quidam Clerici

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIII. Cap. CX. 87
rici valent plús, quàm alii ratione suæ sapientiaæ & bonorum operum.

17. Sicut bonitas pretiosorum lapidum non consistit in multitudine quantitatis, sed in virtute ipsorum, ita, *Domine*, bonitas & sanctitas Clericorum non consistit in multitudine personarum, sed in multitudine bonorum operum: igitur beati sunt Episcopi & alii Prælati sanctæ Ecclesiæ, qui plús amant habere sub se bonos Clericos, quamvis sint in parva quantitate, quàm multos, qui non sunt sanctæ vitæ.

18. *Honorate Domine, plene gratiâ!* Nos videmus, quòd, quando aliqua macula est in panno deaurato vel serico, sit deformior, quàm si sit in stragula vel vili panno: igitur, cum videamus quosdam Clericos esse in hoc mundo honoratiores aliis, in quantum sunt in majori dignitate, in tantum deformius est in eis peccatum.

19. g. *O Domine sanctificate, Splendor & Lumen Sanctorum paradisi!* Sicut videmus bestiam ligari per collum vel per cornua, & duci ab homine quòcunque ipse vult, ita
video

video Clericos & maximè Religiosos ligare suam voluntatem ligamine obedientiæ, & se submittere ad obediendum suo Majori in omni, quod ipse velit.

20. Valde magnum placitum est, *Domine*, videre homines ordinatos & religiosos captivantes voluntatem suæ animæ, & proprietates sui corporis, ne sint inobedientes suo Majori, & ut ei obediant faciendo bona opera.

21. Unde, cùm unus Prælati, *Domine*, teneat sub sua voluntate tot voluntates, valde pulchra res est ad videndum & sciendum; & maximè, cùm quilibet religiosorum habeant placitum obediendi suo Superiori, & standi sub ipso.

22. h. *O Domine DEVS, qui aggratias & benedicis & dirigis, quos vis!* Benedictus sis Tu, qui adeò in amoras sanctos Religiosos, qui pro tuo amore renuntiant temporalibus delectationibus, & torquent sua corpora jejuniis & asperis vestibus, & duris & asperis lectis, & macris & insipidis cibus, & carentiis prosperitatum.

23. Re-

23. Religiosos videmus, *Domine*, illudi & contemni ab hominibus mundanis, qui quotidie eis faciunt ignominias & molestias, & ab eis auferunt suas res, quin ipsi habeant malam voluntatem, nec faciant ullam vindictam de malo, quod recipiunt.

24. *Virtuose Domine* ! Religiosos sanctæ vitæ, scilicet Fratres Minores & Prædicatores & alios, video quotidie laborare in nostris defectibus & in nostris peccatis, quia nocte & die prædicando conantur inducere nos ad faciendum bona opera, & extrahere nos à peccato, & facere nos amicos & benevolos adinvicem.

25. i. *Æterne Domine*, magne super omnes magnitudines, honorate super omnes honorationes ! Monachos video facere habitationes in locis agrestibus & desertis, ne habeant occasionem peccandi inter nos ; & eos video arare & colere terras, ut possint auxiliari sibi ipsis & pauperibus, qui pro tuo amore petunt ; & eos video surgere mediâ nocte ad dandum laudem & gloriam Tibi,
Domine.

Domine.

26. Eremitas videmus, *Domine*, fugere à vanitatibus hujus mundi, & ire ad montes & ad loca inhabitata, & comedere herbas, & deserere omnes prosperitates hujus mundi, & totam suam vitam esse in amando & benedicendo & precando Te contemplando in tua Bonitate & Sanctitate.

27. *Divine Domine* ! Religiosos & Religiosas video deserere & relinquere hunc mundum, ut possint habere gloriam in altero; & licet sustineant multam poenam & laborem in suo corpore ratione suarum afflictionum, tamen fugiunt à multis anxietatibus & laboribus, quos mundani habemus in nostra anima, quia sumus in mundo & amamus ipsum.

28. K. *Liberalis Domine*, in quo est omnis nobilitas & benignitas & sapientia! Quantumcunque aspiciam & inquiram, fere nullum invenio, qui vadat ad Martyrium pro amore Tui, sicut Tu fecisti pro amore nostri: „igitur rationabile mihi videretur ordinationem fieri, quòd essent
„Re-

„Religiosi , qui addiscerent diversas lin-
„guas & irent ad moriendum pro tuo
„amore.

29. Cúm in nostro tempore videamus
esse multos Religiosos sanctæ vitæ & mag-
næ sapientiæ, precor Te, *Domine*, ut in meo
tempore me facias videre, quòd ipsi ordi-
nent & tractent, quomodo addiscant diver-
sas linguas, & eant prædicare infidelibus,
& sint Martyres pro tuo amore.

30. *O gloriose Domine!* Quando erit
illa benedicta dies, in qua videam, quòd
sancti Religiosi velint Te adeò laudare,
quòd eant in terras exteras ad dandum
laudem de tua sancta Trinitate, & de tua
sancta Unitate, & de tua benedicta Incar-
natione, & de tua gravi Passione? Illa
dies esset dies gloriosa, & dies, in
qua rediret devotio, quam sancti
Apostoli habebant in moriendo
pro suo Domino JESU
Christo.

QVOMODO HOMO VIDEAT ID,
quod faciunt Reges & Principes hujus
mundi.

1. **D**EVS gloriose, sancte super omnes
 a. **D** Sanctitates, perfecte super omnes Per-
 fectiones! Benedictus sis Tu, Domine, qui
 honorasti & nobilitasti Reges & Principes
 & altos Barones super omnes populos hujus
 mundi; quia videmus, quòd eis subdideris
 omnes gentes, ut teneant pacem in terra:
 unde benedictus sis Tu, qui ipsis dedisti
 sensum & intellectum ad gubernandum su-
 um populum.

2. Nos videmus, Domine, quòd Reges
 & Principes faciant Satrapas & Advocatos
 & Procuratores & Judices, quia ipsi non
 possent sufficere ad gubernandum suum po-
 pulum; sed quid prodest, quia quotidie vi-
 demus, quòd isti officiales sint pro majori
 parte deceptores & injuriosi & latrones erga
 suum Dominum & erga populum ipsis com-
 missum,

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIII. Cap. CXI. 93
missum, & sint respectu populi sicut lupi,
quibus oves sunt commissæ?

3. *Vere Domine!* Tu nobilitasti Reges
& Principes in genere, & in aliis honorifi-
centiis, quæ ad ipsos pertinent; & vide-
mus, quòd plurimi ipsorum se faciant ser-
vos & subditos alicujus hominis vilis gene-
ris & vilium operum; & hoc est magna in-
consideratio, quòd Tu eos nobiles super
multos homines, & ipsi se faciant servos vi-
lium hominum: igitur, quare tales per-
versi Principes non sumunt exemplum in
Te, qui nunquam voluisti submittere tuum
honorem perverso dominio, nec privasti tu-
am dignitatem illâ honoratione, quæ ad
Te pertinet?

4. b. *Domine, Ordinator omnium rerum
temporalium & spiritualium?* Nos videmus,
quòd Reges & Principes habeant magnos
reditus & magna tributa, & videmus, quòd
fere omnia expendant & consumant in va-
nitatibus & in rebus parvæ utilitatis ita,
quòd nihil eis supersit.

5. *Tu, Domine DEVS, posuisti Re-*
ges

94 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
ges & Principes super populos ad tenen-
dum justitiam & ad confundendum homi-
nes injuriosos & mendaces, & nos vide-
mus fieri oppositum à plerisque Principi-
bus hujus mundi; quia succurrunt & au-
xiliantur injuriosis & mendacibus, & sunt
inimici & malevoli justorum & bonæ
vitæ.

6. *Pie Domine!* Tu subjecisti populos
Regibus & Principibus, ut teneant pacem
in terra, & ut gentes securè possint ire per
vias, & securè manere in suis domibus, sed
videmus oppositum, quia cupiditas & ma-
litia & vana gloria, quæ est in malis Re-
gibus & Principibus, est tanta, quòd to-
tum mundum teneant in bello & in labore;
unde hoc mihi videtur magnum mirum,
quomodo possit esse, quòd tam pauci ho-
mines, sicut Reges & Principes, teneant in
labore tot gentes, quot sunt in hoc mun-
do.

7. c. *Humilis Domine, qui Te humilias ad
exaudiendum tuos benevolos!* Nos videmus,
quòd non possimus videre Principes & al-
tos

tos Barones hujus mundi, nec loqui cum eis, quando ipsis indigemus in rebus, propter quas ipsi sunt superiores nostri, quia januæ palatiorum sunt clausæ, & janitores minantur nobis, quando volumus intrare: igitur benedictus sis, quia non est ita de Te, quoniam quotiescunque homo velit videre Te, & contemplando loqui Tecum, semper potest, & nunquam januæ sunt clausæ.

8. Principes hujus mundi putat homo, *Domine*, quòd sint Reges & Domini nostri; sed secundùm veritatem plús sunt servi & procuratores & subditi, quàm Domini; quia video omnes ipsos fatigatos & occupatos in necessitatibus suorum populorum, quos debent custodire & defendere & administrare secundùm suum officium.

9. *Liber Domine, plene gratiâ!* Nos videmus, quòd homo faciat Regibus & Principibus homagium, & osculetur manus ipsorum, & ipsis faciat multos honores & reverentias, quia sunt nostri procuratores in terra; sed multos malos Principes videmus, qui Tibi non faciunt honorem &

reve-

96 *B. Raym. Lalli Lib. Contempl.*
reverentiam, nec Tibi sunt grati, nec re-
cognoscunt honorem, quem à Te recipi-
unt.

10. d. *Domine vere DEVS*, qui auxi-
liaris tuis subditis & tuis servis! Tibi sit
gloria & laus & honor; quia valde deside-
ro videre Regem & Principem, qui esset
tam bonorum operum, sicut pertinet ad
Principem; quoniam principatus est adeò
nobilis res, quòd, qui habet ipsum in po-
testate, deberet esse verax & humilis & jus-
tus & dulcis & simplex & suavis & plenus
legalitate & misericordiâ.

11. Si talis Princeps posset inveniri,
Domine, deberet multùm appretiari & ama-
ri & honorari; quia in toto mundo non est
aliquid melius bono Principe scientifico &
sapiente & valde intelligente & pleno bo-
nis habitibus; & hoc est propter magnum
bonum, quod potest facere, & magnum
malum, quod potest impedire: igitur, si
Tibi placeret, bonum esset, quòd forent
multi tales Principes.

12. Multoties quæsivi, *Domine*, & pe-
tivi

tivi ab hominibus per mundum, an viderint aliquem Principem perfectum in omnibus bonis habitibus, & qui habeat quidquid pertinet ad Principem, & meo tempore non inveni, qui mihi de tali Principe posset dare notitiam: unde valde miror; quia quotidie video multos lapides pretiosos habentes quidquid requiritur ad nobilitatem & pulchritudinem pretiosi lapidis, & idem video de multis Religiosis, qui sunt in illa bonitate & honestate, quæ ad Religiosum pertinent; sed non possum invenire Regem & Principem talem, quali indigeremus; & hoc est magnum damnum, quòd habeamus majorem indigentiam rei, quæ est nobis magis necessaria.

13. e. *Patiens Domine, amorose!* Laudatus & benedictus sis Tu & omne, quod tuum est; quia ego non vidi Regem, qui pro tuo amore renuntiaverit suo regno, nec qui ipsum dederit pauperibus, & intraverit in Religionem ad dirigendum errantes in veram viam, & ad sustinendum martyrium, sicut Tu & tui Apostoli fecistis.

14. Quis vidit, *Domine*, Principem adeò fervidum & cupidum honorandi Te & dandi laudem de Te, sicut honorandi se, & dandi laudem de se? nam quotidie video, quòd Principes dent morionibus & adulatoribus, ut eos laudent; & quotidie video, quòd prælientur ad invicem, ut alii honorentur super alios.

15. Quando sum coram Rege, *Domine*, & video coram ipso equites & barones & alios multos homines, vix video vel audio, quòd tractent & loquantur de alia re, nisi de vanitatibus & de rebus pertinentibus ad suam honorationem & nobilitatem & exaltationem in divitiis & fama.

16. f. *O Domine vere DEVS, qui creasti & ordinasti quidquid est in cælo & in terra!* Sicut videmus, quòd Reges & Principes sint honorati super omnes homines, & sint ditiores & potentiores ipsis, sic est bonum, quòd videamus Principes & magnos Dominos esse pleniores & perfectiores in virtutibus & bonis moribus, quàm alii homines.

17. Gentes video, *Domine*, desiderare regna & principatus, & Reges & Principes, quantumcunque magna regna & principatus possideant, video adhuc plus desiderare; & hoc est mirum, quòd homines desiderent esse Principes, cùm videamus Principes non esse contentos & satisfactos de rebus, quas possident.

18. Principem vel magnum Baronem video, *Domine*, equitare per viam & incedere cum magna societate gentium; sed quando est mortuus, & fertur ad sepulturam, video ipsum solum poni sub terra; & etiam video, quòd, dum Princeps vivit, non sufficiat ei tota terra suorum regnorum & principatuum, & quando est mortuus, sufficit ei pauca quantitas terræ, in qua sepelitur.

19. g. O *Domine DEVS*, qui denuntias & promittis & das tuis benevolis gloriam paradisi! Principes & magnos Dominos video libenter venari & dicere, quòd venatio sit eis recreatio & occasio fugiendi à peccato, & per hoc putare se esse excusatos; sed

sed non attendunt ad malos procuratores, quos relinquunt loco sui, & qui sunt populo sicut lupi voraces, & dum ipsi venantur & se recreant, lupi comedunt oves sibi commissas.

20. Principes video, *Domine*, ornare suas manus auro & argento & lapidibus pretiosis; sed quid eis valet, si eas coinquinant sanguine pauperum per defectum justitiæ? & quid valet Principi, quòd ipse bene ornatur & delectetur & requiescat, & suus populus injuriatur & depauperetur & malè tractetur & opprimatur, sicut grex opprimitur à feris bestiis?

21. Quando quidam Principes multum comederunt & biberunt, & mensa est finita, statim video, *Domine*, quòd veniant instrumenta, & moriones & adultores, qui loquuntur de vanitatibus & dicunt cantiones luxuriosas & vanigloriosas: igitur, quando ipsi deberent Te memorare & Tibi gratias agere, habent in memoria res, quæ Tibi non placent, & quæ sunt occasio, ut obliviscantur Tui & sint inobedientes Tibi.

22. h. *O Domine vere DEVS, qui es placitum super omnia placita, & es desideratus super omnia desideria!* Multos Principes video putare, quòd veritas stet in ore morionum & adulatorum & hominum mundanorum vanigloriosorum; sed non est ita, imò est contrarium; quia veritas non invenitur nisi in hominibus Religiosis, & in hominibus, qui renuntiant huic mundo, & ipsum contemnunt.

23. Principes & magni Barones putant, *Domine*, quòd eos honores in altero sæculo, sicut ipsos honorasti in hoc mundo; sed non erit ita, sicut ipsi putant; quia in hoc mundo eos honoras, quin ipsi hoc mereantur, sed in altero sæculo nemo debet honorari, nisi in hoc mundo fecerit bona opera.

24. Reges & Principes, *Domine*, quia homines eos timent & honorant, putant se esse bonos & dignos amari & honorari; sed non aspiciunt, quomodo per mala opera, quæ faciunt suis subditis, sint digni deamari

mari & inhonorari.

25. i. *O Domine DEVS, in quo stat omnis mea spes & omnis mea contemplatio!* Principes putant nullos homines esse in hoc mundo adeò liberos sicut ipsi, sed ego video ipsos esse magis subditos, quàm omnes alios; quia magis subditus & captivus est ille, qui debet custodire & dirigere multos homines, quàm multi, qui debent esse subditi uni Principi.

26. Quamvis Principes honorentur in hoc mundo, *Domine*, tamen video, quòd habeant famem & sitim & calorem & frigus, & irascantur & tristentur & paveant & infirmentur sicut alii homines; & video, quòd moriantur & sepeliantur & foeteant & putrefiant sicut alii.

27. In toto mundo non video, *Domine*, ullos homines, de quibus dicantur tot mala, quot dicuntur de Regibus & altis Baronibus; nec video, quòd ullis hominibus fiant tot fraudes & proditiones, quot fiunt illis; nec video, quòd ullis hominibus fiant tot furta & dicantur tot mendacia, quot fiunt

&

& dicuntur ipsis: unde propter hoc mihi videtur, quòd esse Principem non sit adeò magna nobilitas, sicut ipsi putant.

28. *Domine vere DEVS, qui das meis oculis sufficientiam ploratum & lacryarum, & meo cordi sufficientiam desideriorum & amorum!* Quamvis Principes sint in hoc mundo in magnis divitiis & honorationibus, ex hoc tamen non sequitur, quòd multi eorum non sint in multis malis consuetudinibus & peccatis; & quòd plus sunt honorati in mundo, eò plus mala opera, quæ faciunt, apparent esse vilia & turpia & indecentia.

29. Tu, *Domine DEVS*, dedisti populis Principes, ut teneant justitiam, & ut gentes faciant ire per vias veritatis, sed nos videmus, quòd ipsi fere faciant oppositum, quia nulli homines sunt adeò obligati ad faciendum justitiam sicut ipsi, & per nullos homines gentes exeunt tam sæpe à via veritatis, sicut per malos Principes, qui magis amant falsitatem, quàm veritatem.

30. *Gloriose Domine!* Tu vis, quòd Prin-

Principes sint inquisitores & persecutores malorum hominum injuriosorum, qui perturbant & destruunt mundum; & nos videmus, quòd Principes persequantur per loca plana & per montes bestias & aves, quæ nullum malum eis fecerunt, & nolunt persequi nec inquirere malos homines, qui perturbant & destruunt principatus & regna, quæ eis commisit suus Dominus Deus.

CAPUT CXII.

QVOMODO HOMO VIDEAT ID, quod faciunt Equites.

1. **O** *DEVS, quem laudant & hono-
a. rant, amant & timent omnes popu-
li!* Equites videmus, *Domine*, esse electos, ut sint persecutores & captores malorum hominum, qui sunt proditores & homicidæ & latrones & deceptores & inobedientes suo Principi; & propterea habent arma, quibus se defendant & quibus constringant suos inimicos, & equitant, ut possint con-
sequi

sequi inimicos justitiæ & pacis.

2. Sed videtur mihi, *Domine*, quòd equites assumpserint alium modum contrarium officio ordinis equestris, quia armis, quibus deberent destruere malos homines, occidunt & destruunt homines justos & plús amantes pacem, quàm bellum.

3. Tota ista deviatio & inordinatio, *Domine*, est in equitibus per hoc, quòd mutant modum & causam, propter quam sunt equites, quam mutationem faciunt, quia non sunt amici veritatis, & amant vanitates hujus mundi; & ideo exeunt à vera via, & eunt in perdurabilem ignem.

4. b. *O Domine DEVS, qui es noster Creator & Recreator!* Nos videmus, quòd equestris ordo dividatur in duas partes; quia quosdam videmus esse equites secundum hunc mundum, & alios esse equites secundum respectum alterius sæculi: equites secundum hunc mundum sunt toti in vanitatibus & in mundana gloria; sed equites respectu alterius sæculi amant veritatem & contemnunt vanitates hujus mundi.

5. Mun-

5. Mundanos equites videmus, *Domine*, se munire ferro & ligno, & pugnare & vulnerari & mori, & eos videmus magnis laboribus damnare se ad perdurabiles poenas; sed equites cœlestes videmus se munire amore & patientiâ & veritate & devotione & lacrymis & ploratibus & contritione, & magnis desideriiis & placitis ire ad gloriam sinè fine.

6. Equites mundanos videmus, *Domine*, pugnare contra se invicem ferro & ligno, & turpibus & superbis verbis inhonorare & minari sibi invicem; sed pugna cœlestium equitum non est talis; quia ipsi pugnant amore & veritate & humilitate & patientiâ & fidelitate contra perversos & superbos homines, & non portant in suis manibus gladium nec hastam nec cultrum, nec habent in suo ore verba turpia nec venenosa.

7. c. *Rex magne, liberalis in omnibus bonis & in omnibus gratiis!* Equites hujus mundi videmus, *Domine*, pugnare & mori ad habendum nomen & æstimationem apud gentes,

gentes, & ad habendum terras & thesauros; sed quid valet eis fama gentium post mortem? & quid prodest eis post mortem id, quod abstulerunt & rapuerunt à gentibus? & quare sunt martyres diaboli?

8. Equites, qui moriuntur ad habendum famam apud gentes, & ut laudentur ab ipsis, & ad accumulandum temporalia bona, si in morte, *Domine*, rogent gentes, à quibus volunt laudari, & rogent divitias, quas congregaverunt, ut eos eripiant à morte, non exaudientur, quia illæ res, pro quibus moriuntur, non possunt ipsos eripere à morte.

9. Multi equites, *Domine*, quando equitant suos equos muniti omnibus armis, putant se esse leones; & si quis ipsos rogat, & ab ipsis petit misericordiam, habent adeò magnam superbiam, quòd non velint se movere ad pietatem; sed quando sunt victi in prælio & ceciderunt de suis equis, tunc habent pietatem erga se ipsos, & petunt misericordiam ab aliis.

10. d. *Gloriose Domine, pie, humilis, dulcis,*

cis, simplex & suavis! Multos equites video ire ad sanctam Terram ultramarinam, & putare ipsam acquirere per vim armorum, & in fine omnes consumuntur, quin veniant ad id, quod putant: unde videtur mihi, quòd acquisitio illius sanctæ Terræ non debeat fieri, nisi eodem modo, quo Tu & tui Apostoli eam acquisistis, scilicet amore & orationibus & effusione lacrymarum & sanguinis.

11. Cùm sanctum Sepulchrum & sancta Terra ultramarina, *Domine*, videatur debere acquiri per prædicationem meliùs, quàm per vim armorum, progrediantur sancti equites religiosi, & muniant se signo Crucis, & impleant se gratiâ sancti Spiritus, & eant prædicare infidelibus veritatem tuæ Passionis, & effundant pro tuo amore totam aquam suorum oculorum, & totum sanguinem sui corporis, sicut Tu fecisti pro amore ipsorum.

12. Tot equites & nobiles Principes iverunt in Terram ultramarinam ad acquirendam eam, *Domine*, quòd, si Tibi place-

ret

ret modus, bene apparet, quòd eam eripuissent à Saracenis, qui contra nostram voluntatem ipsam possident: unde secundùm hoc significatur sanctis Religiosis, quòd quotidie eos expectes; ut faciant pro amore tui id, quod fecisti pro amore ipsorum, & possunt esse certi & securi, quòd, si se exponant martyrio pro amore Tui, eos exaudies in omni, quod volent complere in hoc mundo ad dandum laudem de Te.

13. e. *Essentialis Domine, á quo nullus homo se potest defendere!* Tibi fit gloria & honor; quia videmus equites accedere ad Principes & altos Barones, & habere familiaritatem cum ipsis, ut eis dent equos & palefridos, & thesauros & possessiones, & video Reges & Principes admittere & sibi adungere ipsos equites, quia eis indigent in suis necessitatibus: unde ratione hujus intentionis, quam equites habent in ordine ad Principes, & Principes in ordine ad equites, movetur contrarietas & malevolentia inter ipsos, quia quilibet vult facere de alio id, quòd plús amat intuitu sui ipsius.

sius.

14. *JESU* *Christe Domine!* Apostoli & discipuli, qui ad Te accesserunt, non accesserunt falsò nec falsâ intentione, sicut multi mali equites accedunt ad suum dominum; & quia fideliter accesserunt ad Te, propterea non dubitarunt mori pro Te, nec Tu dubitasti mori pro ipsis; & ideo de tua Passione secuta est eis utilitas, & Tibi honor de morte, quam sustinuerunt pro Te.

15. Equites fuerunt positi in mundo, *Domine*, ut tenerent mundum in pace; sed homines, qui plura bella & plures labores ponunt in mundo, videmus esse ipsos; quia occidunt homines, & depopulant civitates & castella, & scindunt arbores & plantas & viduant mulieres, & spoliant vias: quis igitur est in mundo, qui faciat tantum mali, quantum equites?

16. f. *Domine complete, perfectè, virtuose, sapiens, grate!* Qui vult videre homines superbos vanigloriosos, injuriosos, derisores, depopulatores & destructores, aspiciat equites,

equites, quia in officio equestri sunt plures tales homines, quàm in alio officio.

17. Valde miror, *Domine*, quomodo possit esse, quòd equites putent se esse meliores homines mundi, & video ipsos esse peiores, & esse illos, qui ponunt mundum in majori labore, quia ipsi cogunt & decipiunt foeminas, & rapiunt & cogunt & occidunt viros, & destruunt bona, quæ terra producit.

18. Multos equites video, *Domine*, esse executores diaboli, quia de nullo statu hominum video tot ita paratos ad faciendum malum sicut ipsos; & si aliquis dicat me non dicere veritatem, in sua conscientia poterit invenire, hoc ita esse, & in ore pauperum, qui sunt ipsorum subditi, inveniet testimonium hujus, quod dico, dummodo audeant testimonium dare.

19. g. *Gloriose Domine, misericors, pie, plene misericordiâ & benedictione & gratiâ!* Nos videmus, quòd equites se ingerant in auguria & aruspicia, & se faciant divinatores & cognitores in rebus, quas aves faciunt

unt

unt fortuitò sinè ulla necessaria causa.

20. Nos videmus, *Domine*, quòd equites insigniant sua arma, ut cognoscantur; sed vix videmus aliquem, qui se insigniat bonis operibus; ut cognoscatur bonus.

21. Equites videmus, *Domine*, quando sunt in campo ordinati & parati ad prælium, sequi signum sui Domini, quòcunque eat; sed vix videmus ullum equitem sequi signum, quod stat super Altare, in quo est tua figura; quia nulli homines adeò parum curant intrare in Ecclesias, & Te precari & audire tua verba, sicut equites, nec ullos homines videmus adeò otiosos, sicut ipsi sunt.

22. h. *O Domine magne! O Domine nobilis! O Domine digne omnibus honorationibus!* Equites videmus facere castella & propugnacula in altis montibus, ut, quando sunt victi & superati in planis, fugiant in montes; sed, quando venient in die iudicii ad tuam præsentiam, ubi erunt tunc castella & propugnacula, in quibus se possint defendere à tua Sententia?

23. In

23. In die iudicii, *Domine*, equites non habebunt equos, quibus fugiant, nec habebunt arma, quibus se muniant, imò se invenient nudos & victos & impotentes & plenos peccatis, quæ fecerint in hoc mundo; quæ peccata ipsos accusabunt de injuriis, quas in hoc mundo fecerint suis subditis.

24. Cùm equites sint adeò culpabiles & peccatores, valde miror, *Domine*, quomodo possint esse tam audaces ad moriendum; quia nullos homines video se ponere in tam magno periculo mortis, sicut ipsos: unde si pro amore Tui morerentur, non esset mirum, si essent audaces; sed mori pro vanitatibus & sine ulla utilitate, hoc est mirum.

25. i. *O Domine JESU Christe, qui appellaris & nominaris in Deitate & Humanitate!* In hoc mundo non video ora ullo-
rum animalium, in quæ tot bona victualia intrent, sicut in ora equitum: igitur quomodo possunt equites esse plùs contrarii veritati, quàm alii homines? & quomodo

H

modo Te blasphemant & inhonorant plús, quàm alii homines ? & ubi sunt gratiæ, quas Tibi faciunt propter bona, quæ eis fecisti ?

26. Nullos homines hujus mundi video, *Domine*, esse adeò venatores & lutores & delicatos sicut equites, nec ullos homines video facere tot res sinè utilitate, quot faciunt equites peccatores & vanigloriosi : igitur quare ipsi se reputant dignos laudari plús, quàm alii homines, cùm sua opera minús valeant ?

27. *Liber Domine, plene gratiâ!* Sicut Tu posuisti equites in nobiliori officio temporalium rerum, quàm alios homines, ita ipsi deveniunt pejores & plús peccatores, quando faciunt contra finem, propter quem sunt positi in sua honoratione ; &, quia ipsi se præcipitant & se privant bonitate, quam deberent habere ratione equestris ordinis, propterea sunt in alio sæculo plús vilificati & inhonorati, quàm alii homines.

28. K. *Domine invocate, Domine laudate, Domine memorate!* Beati sunt illi equites, qui

con-

conservant equestrem ordinem secundum nobilitatem equestris officii; quia ordinem equestrem video conservare mundum in hoc, quod equites sint occasio, ut Principes possideant terram, & teneant justitiam, & ab equitibus vincuntur & superantur mali homines, & ab ipsis manuteneatur sancta Ecclesia.

29. Equites, *Domine*, pugnant contra infideles & hæreticos, qui volunt destruere sanctam Fidem Romanam: unde beati sunt omnes equites, qui sunt obedientes sanctæ Ecclesiæ; quia, sicut Clerici habent officium Te laudandi & precandi pro populo, ita equites habent officium pugnandi pro Fide Romana.

30. *Amorose Domine!* Sicut Tibi placuit dare equitibus modum se muniendi ferro & ligno, ut se defendant à suis inimicis, ita tuus fervus & tuus benevolus petit à Te gratiam, ut eum munias virtutibus, ut possit pugnare & se defendere à diabolo & à mundo & à sua carne, quia eum quotidie impugnant, ut sit inobediens suo

Do-

CAPUT CXIII.

QUOMODO HOMO VIDEAT ID,
*quod faciunt illi, qui devotionis vel voti
causâ peregrinantur.*

1. **O** *JESU* *Christe Domine, magne, amo-*
a. *rose!* Tibi fit gloria & honor; quia
videmus, quòd pro tuo amore & ad hono-
randum Te eant gentes in peregrinatio-
nem, & eant visitare loca sancta & Eccle-
sias, in quibus demonstraisti miracula, &
eant visitare tuum sanctum Sepulchrum, &
Ecclesiam SS. Apostolorum Petri & Pauli
Romæ, & sanctum Apostolum Jacobum,
& alia loca, in quibus fit memoria sancto-
rum Apostolorum & aliorum Sanctorum &
Sanctarum.

2. Peregrinatores videmus, *Domine,*
portare baculum & sportulam, & eos vide-
mus ire quærendo Te per mundum huc &
illuc, & se elongare à suis terris, & ire in
lon-

longinquas terras; & videmus eos pro amore Tui sustinere multos labores & adversitates magni frigoris & caloris, & sustinere magnam famem & sitim.

3. Beatos peregrinatores videmus, *Domine*, ire per mundum quærendo Te diversis modis; quia alii eunt equitando & alii pedibus suis incedendo, alii tanquam pauperes petendo eleemosynam, & alii dando ipsam; & videmus eos ire per loca plana & per montes & per loca agrestia & inhabitalia, in quibus sustinent multas ærumnas & multum mali & timoris & pœnæ.

4. b. *Domine rogate, Domine laudate, Domine amate* ! Peregrinatores videmus ire ad quærendum Te equitando; sed, quando Tu venisti in hunc mundum ad quærendum nos, aliter venisti, quia discalceatus ivisti, & in tuis manibus & pedibus portasti clavos, quando fuisti affixus sanctæ Cruci, & in tuo Capite portasti coronam spinarum, quæ omnes penetrarunt tuam Carnem.

5. Si peregrinatores eunt quærere Te,
Domine,

Domine, equitando in equis & mulis Tu, voluisti quærere nostram saluationem equitando in asina; & si ipsi Te quærunt portando signum crucis in suis palliolis Tu, quæsivisti nos portando super tuos humeros ipsam Crucem, in qua fuisti clavis affixus & mortuus; &, si ipsi Te quærunt mollibus lectis, in quibus jacent, & in cistis plenis supellectilibus, Tu quæsivisti nos nudus in Cruce, quæ fuit lectus mortis; &, si ipsi se cibant epulis conditis, & se potant vino, quod secum afferunt in lagenis, Tu fuisti in Cruce potatus felle & absynthio & aceto; &, si ipsi portant aurum & argentum & denarios ad faciendum expensas, Tu venisti ad Crucem pauper, & denudatus omnibus vestimentis.

6. Peregrinatores video, *Domine*, ire quærentes Te plorando, sudando & gemen- do præ lassitudine; sed Tu quæsivisti nos aliter; quia quæsivisti nos effundendo totam aquam & totum sanguinem tui Corporis; &, si ipsi eunt quærere Te plorando & laborando, ut eis remittas suas culpas, Tu quæ-

quæſivisti nos moriendo, plorando & laborando, ut haberemus perdurabilem gloriam.

7. c. *Honorate Domine, cui serviunt omnes populi!* Nos videmus, quòd peregrinatores eant quærere Te in remotis terris, & Tu es adeò propinquus, quòd quilibet, si velit, possit Te invenire in sua domo, & in sua camera: igitur, quare multi homines sunt adeò ignorantes, quòd eant quærere Te in remotis terris, & portent secum dæmonem, quando eunt onerati peccatis.

8. In loca, quæ Tu elegisti, *Domine*, ad demonstrandum tua miracula, videmus peregrinatores ire, ut quærant Te; sed, quia homines peccatores habent magnam cupiditatem congregandi denarios, videmus quòd faciant peregrinatoribus multas fraudes & deceptiones.

9. Adeò falluntur & decipiuntur peregrinatores, *Domine*, à falsis hominibus, quos inveniunt in hospitiiis & in Ecclesiis, quòd aliquos eorum, postquam sunt reversi ad suam domum, videamus esse multò peiores,

res, quàm antequam irent in peregrinationem.

10. d. *Memorate Domine, invocate, culte & benedicte!* Qui eunt quærere Te, si velint Te invenire, eant quærere Te in oribus hominum Religiosorum, qui sunt pauperes pro tuo amore, quia ibi Te poterunt invenire; quoniam sancti Religiosi nocte & die Te nominant & Te orant & precantur & laudant & benedicunt.

11. Sub vestimentis sanctorum Religiosorum vadat homo quærere Te, *Domine*, si velit Te invenire; quia sub ipsis est cor ipsorum, quod Te amat & in Te contemplatur; sed, qui Te non vult invenire, eat Te quærere sub nobilibus vestimentis hominum vanigloriosorum, quia in cordibus istorum non es Tu nec contemplatio Tui.

12. Illi, qui eunt quærere Te, *Domine*, in hominibus patientibus & injuriatis & malè tractatis ab hominibus injuriosis & superbis, possunt Te invenire; quia ipsi in Te sperant & Te invocant, & in eis est tua gratia & tua benedictio.

13. e. *O Domine DEVS, in quo est tota nostra gloria & beatitudo! Qui Te vult invenire, non eat quærere Te per plateas nec per vias plenas populo; quia in eis non es nominatus nec memoratus secundum quod deberes, nec in eis loquuntur homines nisi de falsitatibus & deceptionibus & derisionibus & vanitatibus; & qui vult invenire Te, Domine, non eat quærere Te in palatiis Regum & Principum & aliorum Baronum, quia ibi non tractatur nisi de vana gloria, & de rebus parvæ utilitatis; nec in teloniis nec in tabernis oportet quærere Te, quia ibi non tractatur nisi de vendere & emere, jurare & perjurare.*

14. *Gloriose Domine! Peregrinatores euntes quærere Te, si Te velint invenire, eant ad Ecclesias & domos Religiosorum & ad hospitalia; quia in eis audient loqui de Te & de tua Bonitate, & in eis se poterunt bene associare & consolari contemplando in Te.*

15. *Qui Te vult invenire, Domine, in amore & fidelitate & devotione & fide & spe*

spe & justitia & misericordia & veritate, eat quærere Te; quia in omni loco, in quo sunt istæ virtutes, es Tu: igitur beati sunt omnes, qui in talibus rebus Te quærunt; quia, quando homo Te quærit in virtutibus, statim Te invenit.

16. f. *O Domine amate! O Domine benevolite ab omnibus tuis benevolis!* Res, quas homo vult invenire, sunt diligenter quærendæ, & in illis locis debent quæri, in quibus possunt inveniri: igitur, si peregrinatores velint Te invenire, debent Te diligenter quærere, & non debent Te quærere in sculpturis nec in picturis Ecclesiarum, imò debent quærere Te in cordibus sanctorum hominum & sanctorum Religiosorum, in quibus habitas nocte & die.

17. Quærentes Te, *Domine*, si velint Te invenire, quærant Te in perfectionibus & complementis, in quibus non sunt ulli defectus, quia ibi es Tu in hoc, quòd sis illæ perfectiones & illa complementa: igitur ratione hujus decipiuntur multi homines, qui eunt Te quærere in rebus defectuosis,

tuosis, quæ carent perfectione, & decipiunt se ipsos, quia Te quærunt, ubi non es.

18. Multas res inveniret homo, *Domine*, si eas bene quæreret, sicut sunt quærendæ, & si iret per illas vias, per quas pervenitur ad eas: igitur homo per vias obliquas & per vias peccatorum nunquam poterit Te invenire nec Tibi obviare.

19. g. *O Domine DEVS, qui dirigis & illuminas omnes peregrinatores, qui sapienter Te quærunt!* Qui Te quærunt, si velint Te invenire, eant ad homines divites superbos vanigloriosos, quando sunt infirmi ad mortem, quia ibi poterunt invenire Te, qui confundis & constringis & vincis ipsos ratione defectuum, quos fecerunt contra Te & contra tuos servos.

20. *O pie Domine!* Quot homines quærunt Te, & quàm pauci sunt, qui Te inveniunt, & quot nescii homines putant Te invenisse, quin in ullo Tibi obviaverint? & totum hoc evenit, quia Te non quærunt, nec Te petunt modo, quo deberent.

21. Modus, & via, per quam homo
potest

potest Te invenire, *Domine*, stat in ordinatione hominis ; quia memorare & amare & honorare Te, & servire Tibi, & cogitare in tuis magnis nobilitatibus & in nostris magnis defectibus, sunt occasiones & viæ, per quas homo Te potest invenire, si Te quærat.

22. h. *O JESU Christe Domine, qui es adjutorium & succursus & confortatio nostra! Qui Te vult quærerere & invenire, interroget: quinam Princeps passus fuerit plures ignominias & mala & mala tractamenta à suo populo, &, si hoc interroget, statim veniet in notitiam & significationem de Te; quia Tu es ille Princeps, qui fuit magis vilipensus & tortus à suo populo, quàm ullus Princeps, qui unquam fuerit.*

23. *Amorose Domine! Tuus subditus multoties Te quæsi in Cruce, & mei oculi corporales nunquam potuerunt Te in ea invenire; sed bene invenerunt in ea tuam figuram & representationem tuæ Mortis; & quando non poteram Te invenire oculis corporalibus, Te quærebam oculis meæ ani-*

mæ,

Vo. II. Li. III. Dist. XXIII. Cap. CXIII. 125
mæ, & cogitando & memorando in Te mea
anima inveniebat Te, & per inventionem
Tui statim incipiebat meum cor calefieri
calore amoris, & mei oculi plorare, &
meum os Te laudare.

24. *O Domine!* Benedictus sis Tu, qui
multis diebus permisisti Te inveniri à tuis
subditis; & quando Te inveniebant, pete-
bant à Te: an haberes amorem & dulcedi-
nem & devotionem & delectationem? &
an contritionem dares vel venderes vel
commodares? quia eâ valde indigebant; &
Tu per tuam magnam Benignitatem im-
plebas & potabas eos tuâ gratiâ & bene-
dictione.

25. i. *Gloriose Domine, plene Misericor-
diâ & Dulcedine & Pietate!* Quid prodest
peregrinatoribus quærentibus Te, quòd Te
quærant, si Te non memorant nec amant
nec cogitant nec contemplantur in Te nec
in tua Bonitate? & quid prodest eis, quòd
Te inveniant, si Te non amant nec ho-
norant nec laudant nec Tibi serviunt?

26. Qui eunt in regiones longinquas,
&

& per longas & asperas & periculosas vias, frustra laborant, *Domine*, si se non inamorent de Te, & si non loquantur de Te, & dum Tecum sint, non caveant, ne suum cor occupetur & impediatur à vanitatibus hujus mundi.

27. *O Domine DEVS!* Quàm parùm prodest peregrinantibus per mundum quærere Te, si redeunt ad peccata & ad vanitates, postquam venerunt à suis peregrinationibus!

28. K. *Domine vere DEVS, qui recreasti & beneficiasti totum mundum!* Magnitudo & gloria & virtus cognoscantur Tibi & omni, quod tuum est; quia quotidie videmus, quòd simus peregrinatores ad mortem, cui appropinquamus die & nocte: unde beati sunt, qui Tibi obviant & inveniunt Te, antequam pervenerint ad ipsam, quia in morte invenient Te plenum Misericordiâ, & post mortem invenient Te in gloria.

29. Peregrinatores tendentes ad mortem, *Domine*, si, antequam pervenirent ad ipsam,

ipsam, Te non invenerint in hoc mundo, invenient Te in morte per Justitiam totum severum finè Pietate & Misericordia, & nunquam Tecum erunt in gloria.

30. Tuus servus & tuus homo, *Domine DEVS*, se præparat ad peregrinationem, ut eat ad moriendum pro tuo amore: igitur priusquam pervenerit ad mortem, placeat Tibi ipsum invenire Te taliter, quòd nunquam separetur à contemplatione nec ab amore nec à gloria sui Domini DEI.

CAPUT CXIV.

QUOMODO HOMO VIDEAT ID, quod faciunt iudices & advocati & testes.

1. **O** *DEVS Sancte Sanctorum, gloriose super omnes glorias, sapiens super omnes sapientias! Nos videmus, Domine, quòd dederis iudices in terra, ut dent unicuique homini id, quod ad ipsum pertinet, & quod meretur, & id, quod est suum; sed*

videmus malos iudices facere totum oppositum, quia illis, qui merentur poenam, eam non dant, & illis, qui non merentur poenam, eam dant, & illis, quibus ipsi deberent auferre, dant, & auferunt ab illis, quibus deberent dare.

2. Iudices, *Domine*, sunt constituti, ut constringant injuriosos homines, & satisfaciant injuriatis; & iudices sunt positi in suo officio, ut declarent id, quod non est declaratum nec intellectum à partibus contrariis; sed secundum id, quod videmus, plerique iudices hoc non faciunt, quia in suis operibus sunt contrarii illis rebus, quæ deberent dirigi ab ipsis.

3. Iudicibus est datum, *Domine*, quòd debeant sequi naturam & cursum potentiae rationalis, quia ipsa est lumen & demonstratio veritatis & iustitiae & cognitionis; sed, quia ipsi sequuntur naturam & cursum & proprietatem potentiae sensitivæ, quæ est excæcatio & ignoratio veritatis & iustitiae & sapientiae, ideo flectuntur & deserunt veritatem in suis sententiis & in suo officio.

4. b.

4. b. *Pie Domine, misericors, plene dulcedine & veritate!* Tu voluisti homines esse advocatos, ut sciant demonstrare iudicibus veritatem, & ut injuriatos defendant à falsis deceptoribus; sed nos videmus plerisque advocatos facere oppositum; quia, quando deberent dicere veritatem, conantur facere verum id, quod est falsum, & destruere id, quod est verum, & totum hoc faciunt, ut possint habere honorem & divitias à miseris hominibus, qui ipsis committunt suum jus & suam rationem.

5. Etiam videmus, *Domine*, in jure esse constitutum, quòd iudices non debeant judicare nisi per veros testes; sed propter falsitatem & fraudem, quam habent mali iudices & mali advocati, reprehendunt & contradicunt testibus, qui dicunt veritatem, ne judicent secundum veritatem, & recipiunt falsos testes, ut sint excusati à suo falso iudicio.

6. Falsos testes videmus, *Domine*, corrumpi pro denariis, qui eis dantur; & per fraudem, quam faciunt falsi testes & ma-

li iudices & advocati, videmus esse corruptum & turbatum totum mundum.

7. c. *Vere Domine grate, qui comples & adimple omnia, quæ promittis!* Si iudices & advocati essent homines veritatis, & amarent bona opera, & non corrumpere pro ulla re, multum boni & directionis possent dare populis; sed, quia ipsi sunt mali & malæ intentionis pro majori parte, nulli homines sunt, per quos populi adeò turbentur sicut per ipsos.

8. Qui posset invenire veracem iudicem & veracem advocatum, *Domine*, multum deberet ipsos amare & honorare; quia plus appretiari debet homo bonus in officio, in quo pauci sunt boni, quam homo bonus in officio, in quo pauci inveniuntur mali.

9. Cùm in officio iudicis & advocati sint pauciores homines boni & veraces, quam in alio officio, & in ipso sit major necessitas bonorum hominum & sapientum & veracium, quam in ullo alio, beati sunt, *Domine*, illi iudices & advocati, qui non corrumpuntur nec flectuntur per denarios

nec

nec per preces nec per ullas alias res.

10. d. *Domine durabilis, Domine eterne, Domine magne sine fine!* In toto mundo non videmus ullorum hominum esse tot, qui moriantur malâ morte, quot sunt iudices & advocati; quia quotidie videmus aliquos ipsorum mori morte subitaneâ, quin possint confiteri nec petere misericordiam: igitur benedictus sis Tu, quia valde demonstratur iusta tua Sententia; nam, quoniam ipsi pro denariis vendunt sua verba ad dicendum falsitates, & suum intellectum ad cogitandum & tractandum deceptiones, ratio est, quòd in morte habeant defectum verborum & intellectus.

11. In toto mundo non video, *Domine*, ullum officium adeò vilificatum & perversum, sicut est officium iudicis & advocati; quia videmus, quòd liberam voluntatem, quam habent, vendant; & sua verba & suas considerationes & totam suam discretionem vendant pro denariis; & propterea, sicut homo ducit bestiam ligatam quòcunque vult, ita facit eos dicere quidquid vult,

&

& ducit ipsos, quòcunque vult.

12. Nullus artifex nec ullus officialis, *Domine*, tantum laborat in suo officio, quantum judices & advocati, quia ex omnibus suis sensualitatibus & intellectualitatibus laborant in illis rebus, quæ sunt graves ad intelligendum & attingendum ratione gravium inquisitionum & intricacionum, in quibus sunt res, quas inquirunt.

13. e. *Singularis Domine*, qui non habes *æqualem nec socium*! Malos judices & advocatos videmus pro parvo dono, quod eis detur, facere hominem perdere multas possessiones & multos denarios: etiam videmus ipsos sumere servitia ab utraque parte litigantium, & quando extraxerunt id, quod possunt, in fine non velle dare sententiam, sed velle componere partes, & auferre ab habente jus, & dare non habenti jus.

14. Judices & advocati, *Domine*, in principio sui studii addiscunt cum intentione judicandi veritatem & ratiocinandi secundum ipsam; sed postquam didicerunt scientiam juris, faciunt contra jus, & judicant

&

& ratiocinantur contra veritatem: igitur totum hoc est vilitas officii, quia addiscunt unâ intentione, & postea operantur aliâ.

15. Quotidie videmus, *Domine*, quòd iudices & advocati inimici veritatis velint ex falso facere verum & ex vero falsum, & ista est stultior operatio, quæ possit esse; quia impossibile est, quòd verum sit falsum & falsum verum; & propterea mihi videtur, quòd ipsi sint stultiores homines hujus mundi, quamvis appellentur sapientes; quia, si baculus datur homini cæco, ut eat cum illo, merces datur iudicibus & advocatis, ut distinguant inter id, quod est justum, & id, quod est injustum; & homines cæcos videmus ire cum baculo, & non videmus malos iudices & advocatos ire per viam veritatis, quamvis sint conducti: igitur secundum hoc mihi videtur ipsos non esse cæcos, sed minús quàm cæcos.

16. f. *O Domine vere DEVS, qui es adiutorium & refugium & spes nostra! Iudicem non video, qui sciat judicare sua membra, quæ habet ornata pulchris vestimentis*

&

& satiata delicatis & diversis saporibus, quæ membra non sunt digna prosperitatibus, quas possident: igitur, si iudices non volunt iudicare veritatem in se ipsis, quomodo eam iudicabunt in aliis? Et nullus advocatorum est, qui non sciat melius veritatem de se, quàm de alio: igitur, si de se ipsis non volunt eam dicere illis, quos decipiunt, quomodo eam dicent de aliis?

17. Homines, qui se intromittunt ad iudicandum, *Domine*, deberent iudicare in homine tanquam bonas illas res, quæ sunt bonæ, & tanquam malas illas res, quæ sunt malæ; sed ipsi faciunt oppositum; & maxime, quando iudicant tanquam bonum hominem, qui est malus in aliquibus rebus, vel tanquam malum illum, qui est bonus in aliquibus rebus, quapropter tale iudicium est falsum & contra veritatem.

18. Multos homines video, *Domine*, eligere sibi iudices & advocatos illos, qui sunt homines multarum literarum, & sciunt multum in iure; sed quid valent eis scientia & literæ iudicum & advocatorum,
dum

dum non sint justi & fideles & veraces? in veritate dico, quòd plús valerent hominibus iudices & advocati fideles & minús scientes, quàm falsi & multúm scientes.

19. g. *Domine amate, Domine volite, Domine honorate!* Ratione falsorum iudicum & advocatorum & falsorum testium fere totum mundum video turbatum & deceptum; quia homines falsos, avaros, audaces, mendaces & nescios video reputari fideles & largos, veraces & virtuosos; & homines fideles & largos & plenos virtutibus video reputari malos & vitiosos; & totum hoc fit per culpam iudicum & advocatorum & testium non amantium veritatem.

20. Quando transeo, *Domine*, per vias & plateas, quandoque aspicio, an possim videre justum iudicem & verum advocatum & testem; & non tantum aspicio ad hanc & illam partem, quòd possim videre ullum, qui sit in illa veritate, in qua deberet esse; quia fere omnes sunt corrupti in suis officiis per hoc, quòd non audeant iudicare veritatem nec ratiocinari nec testificare ipsam

sam.

21. Totum mundum video, *Domine*, plenum falsis iudicibus, qui bona & virtutes, quas possident, iudicant & attribuunt sibi ipsis & non Tibi; & si in se habent aliquos defectus, dicunt, quòd provenerint à Te: etiam video, quòd multi falsi iudices iudicent tua opera, & dicant se posse intelligere meliorationem in eis: igitur isti se jactant, quòd habeant cognitionem & scientiam & voluntatem supra tuam Sapientiam & Bonitatem.

22. h. *O Domine beate, gratiose, Pater & Redemptor & Salvator noster!* Judæi, qui falsò iudicarunt de Te, quando iudicarunt Te ad mortem, reliquerunt semen inter nos, quod semen falsò iudicat de Te, & video omnes vias plenas isto malo semine, & non video, quòd ipsum iudicetur de defectibus, quos facit contra Te, nec video, quòd habeas advocatos, qui reprehendant defectus, quos istud malum semen credit esse in Te.

23. Valde miror, *Domine*, de magna
cru-

crudelitate & ingratitude; quæ est in nobis; quia rarus est ille iudex & advocatus, quem homo non corrumpat per denarios, & non video ullum, qui velit agere iudicem & advocatum pro Te apud infideles, quamvis nos conduxeris tuo pretioso Corpore, quod dedisti morti pro nobis, & tuo benedicto Sanguine, quem effudisti ex amore nostræ salutis.

24. Valde desidero, *Domine*, videre tempus, in quo fideles Christiani Te adæquent, quòd se ipsos iudicent ad moriendum pro tuo amore & pro tua laude & pro salvatione suorum proximorum; &, quia Tu voluisti iudicare Te ipsum ad sustinendum gravem Passionem & Mortem pro amore nostri, esset rationabile, quòd ad laudandum Te iudicarem nos ad sustinendum labores, ut Tibi fieret iustitia inter nos.

25. i. *Domine vere DEVS, qui concordas omnia, quæ vis: Iudices & advocatos video amari & honorari & appetiari & laudari à Principibus & altis Baronibus & ab hominibus*

138 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
nibus divitibus ; sed video ipsos à pauperibus & miseris & impotentibus hominibus vituperari & blasphemari & odiri ; & totum hoc evenit, quia mali iudices & advocati dant divitibus, & auferunt à pauperibus, & plus pavent displicentiam divitum, quàm maledictionem pauperum.

26. Iudices & advocatos video, *Domine*, equitare in pulchris palefridis & pulchris mulis & mulabus, & video ipsos bene vestitos & suos lectos valde nobiles, & video ipsos comedere valde delicatè; sed video pauperes plorare & tristari & infirmari propter fraudes & injurias, quas recipiunt à falsis iudicibus & advocatis.

27. Valde miror, *Domine*, quomodo possit esse, quòd mali iudices & advocati appellentur sapientes, quia secundùm veritatem in todo mundo non mihi videntur esse homines adeò imprudentes & nescii ; quare videretur mihi rationabile, quòd appellarentur insipientes, & non sapientes.

28. K. *Liberalis Domine!* Tibi sit gloria
&

& laus omni tempore, qui vis, quòd homo judicetur secundùm judicium, quod ipse facit de suo proximo: igitur, cùm ego judicaverim falsos judices & falsos advocatos & falsos testes, est rationabile, quòd judicem me ipsum.

29. „Toto tempore, quo vixi, *Domine*, non inveni falsiorem judicem nec falsiorem advocatum nec falsiorem testem, quàm ego fuerim; quia in plerisque rebus fui falsus & habui falsam intentionem, & in rebus veris tacui veritatem, & in rebus falsis inquinavi meas intellectualitates & sensualitates.

30. Tanquam hominem, qui fuit malus judex & falsus advocatus & mendax testis, me judico, *Domine*, dignum sustinere ignem perdurabilem, & indignum possidere gratiam & benedictionem in hoc sæculo & in altero; sed, quia Tu es Fons plenus Misericordiâ, quamvis me judicem secundùm mea merita, tamen non despero de magna Pietate & dulci Misericordiâ mei Domini DEI.

CAPUT

QUOMODO HOMO VIDEAT ID,
quod faciunt Medici.

1. **O** *Divine amorose Domine!* Tibi sint
 a. **O** laus & gloria & honor, qui ordi-
 nasti & voluisti, quòd nos habeamus me-
 dicos corporis & animæ; quoniam, sicut
 videmus, quòd infirmemur in corpore &
 anima, ita videmus, quòd habeamus me-
 dicos, qui nos medicent & sanent in cor-
 pore & anima.

2. Medicos sanantes corpus videmus,
Domine, sanare ipsum dupliciter: *primò*,
 quando ipsum sanant ab infirmitate, quam
 habet intra se; & hanc sanationem vide-
 mus fieri potionibus & syrupis & electua-
 riis & diætis; *secundò*, quando ipsum sanant
 ab infirmitate, quæ apparet in superficie
 corporis; & hanc sanationem videmus fie-
 ri igne & unguentis & emplastris & pulve-
 ribus & herbis.

3. Medicos medicantes & sanantes ani-

mas

Vo. II. Lib. III. Dist. XXIII. Cap. CXV. 141
mas hominum peccatorum videmus, *Domine*, sanare ipsas dupliciter: *primó* demonstrando peccatoribus tuam Bonitatem & Nobilitatem & Justitiam & Misericordiam & Voluntatem & Dominium & tuam gloriosam Potestatem; *secundó* demonstrando ipsis vilitatem & miseriam, quæ est in eis, & vanitatem & fragilitatem & corruptionem hujus mundi falsi & fallacis.

4. b. *Æterne Domine semper durabilis & abundans omnibus bonis*! Nos videmus, quòd medici medicantes corpus sequantur regulam & cursum naturæ, quia ipsi procedunt secundum temperamentum & convenientiam quatuor qualitatum & quatuor complexionum ad conservationem corporis, & cavent, ne corpus infirmi destruat per inordinationem qualitatum & membrorum.

5. Medici sanantes animas peccatorum, *Domine*, aliter procedunt; quia tractant de expellendo vitia, quæ sunt in peccatoribus, & de procurando, quòd in eis sint virtutes, per quas sint tui servi & tui benevoli.

nevoli.

6. Cúm medici sanantes animas, *Domine*, sint meliores, quàm medici sanantes corpora, quia habent nobilius & utilius officium; quomodo potest esse, quòd medici sanantes corpora meliùs solvantur & rogentur & petantur, quàm medici sanantes animas, & plùs obediatur illis, quàm istis?

7. c. *O Domine fortis super omnes fortitudines! O Domine magne super omnes magnitudines!* Nos videmus, quòd medici animæ faciliùs cognoscant infirmitatem animæ, quàm medici corporis infirmitatem corporis; & hoc est, quia infirmitatem corporis non potest homo veraciter percipere, eò quòd non possit attingere omne id, in quo natura inordinatur in corpore hominis infirmi.

8. Medici animæ, *Domine*, possunt facilè cognoscere infirmitatem peccatoris, quia exteriùs possunt eam cognoscere per opera peccati, quæ ipsum vident facere, & interiùs possunt ipsam cognoscere per

con-

Vol. II. Li. III. Dist. XXIII. Cap. CXV. 143
confessionem, quam ipse facit de suis peccatis.

9. Cum medici animæ, *Domine*, possint facile cognoscere infirmitatem animæ, & medici corporis plerumque ignorent infirmitatem corporis, valde miror de gentibus, quomodo sint tam excoecatae & ignorantes, quòd pius confidant in medicis corporis, quàm in medicis animæ, & reputent illos veriores istis.

10. d. *O Domine DEVS, à quo descendit gratia & benedictio tuis populis!* Medicos corporis videmus incedere bene indutos & bene equitantes, & videmus eos congregare divitias & thesauros ex magnis fraudibus, quas faciunt infirmis, quos fallunt omni modo; quia jactant se cognoscere infirmitatem, quam non cognoscunt; & prolongant infirmitates, ut habeant majorem mercedem; & dant infirmis syrupos & electuaria & alias res, quia participant de lucro, quod habent pharmacopolæ ex rebus, quas vendunt infirmis.

11. Quotidie videmus, *Domine*, medicos,

COS,

cos, qui postquam erraverint suam medicationem, insurgant contra infirmos reprehendendo ipsos & dicendo, quòd non servaverint ordinationes ipsorum, nec eis dixerint veritatem infirmitatis: igitur, cum ipsimet deberent vituperari & reprehendi propter suum errorem, vituperant & reprehendunt infirmum, qui est innocens.

12. Medici Physici, qui cognoscunt, in quo peccet infirmitas, *Domine*, possunt tractare de infirmitate; sed quotidie videmus, quòd medici operentur in homine fortuito, quia non habent cognitionem de infirmitate.

13. e. *Iuste Domine, magne super omnem magnitudinem, sapiens super omnem sapientiam!* Nos videmus, quòd medici probent in infirmo potiones & syrupos & electuaria, & nullum horum velint probare in se ipsis, imò ab hoc sibi bene caveant: etiam videmus, quòd medici, postquam cognoverint ab infirmis infirmitatem, se jactent, quòd eam cognoverint per se ipsos.

14. In principio infirmitatis, *Domine*,
me-

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIII. Cap. CXV. 145
medici confidunt in sua scientia, & affirmant se esse sanatu-
ros infirmum, sed in fine,
quando vident, quòd sua scientia eis non
sufficiat, recurrunt ad Te, & dicunt: se non
posse sanare infirmum, nec ullum posse ip-
sum sanare, nisi Te.

15. Tibi, *Domine DEVS*, sit laus &
honoratio, quia medicos videmus esse solli-
citos, ut sanent infirmos herbis & unguen-
tis & potionibus, sed de infirmitate, quam
ipsi habent in sua anima, pauci sunt solli-
citi & volentes eam sanare per confessio-
nem & poenitentiam & bona opera.

16. f. *O Pater cælestis, qui das gloriam
& benedictionem omnibus illis, quibus Tibi
placet eam dare!* In toto mundo non video
ullam scientiam nec ullam artem, in qua
homo tantum operetur fortuitò, quantum
in medicina; & quòd hoc sit verum, *Do-
mine*, in ipsis medicis probatur in hoc, quòd
ipsi discordent & sibi invicem contradicant
super infirmo, in quo infirmitas est una, &
opiniones medicorum sunt multæ & diver-
sæ: igitur contrarietas medicorum signifi-
cat,

K

146 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
cat, quòd ipsi non cognoscant infirmitatem.

17. Quia medici, *Domine*, operantur in infirmis plus casualiter, quàm ex certa scientia & cognitione, ideo plures homines occiduntur, quàm sanentur à medicis; & propterea mihi videtur, quòd curatio, quam medici faciunt, sit magis periculosa, quàm secura: igitur melior curatio, quam infirmus possit facere, est, quòd cognoscat suam infirmitatem, & caveat, ne utatur rebus contrariis, & sinat operari in se cursum naturæ.

18. Causa, quare ars medicinæ est imperfecta, *Domine*, sunt duæ res, quarum *prima* est ignorantia medicorum, qui infirmitates non cognoscunt, nec res necessarias ad sanandum ipsas; nec sciunt temperare quantitates qualitatum contrariarum: *altera* est inordinata intentio ipsorum, quia *prima* intentio, quam habent in usu suæ artis, est, ut acquirant divitias & reputentur boni medici.

19. g. *Honorate Domine, cui obediunt omnes*

omnes populi! Medicos Chyrurgos video sanare vulnera hominum vulneratorum emplastris & unguentis; sed non video ullum ipforum accipere de suamet carne & de suis membris, & eam applicare vulneribus ipforum: igitur benedictus sis Tu, qui vulneri nostri peccati applicasti tuum Corpus, ut nos sanares & mundares à gravi culpa, in quam cecideramus per nostrum Patrem Adamum, & per nostram Matrem Evam.

20. Nullum medicum video, *Domine*, sanare nec mundare nec lavare vulnera infirmorum cum suis lacrymis nec cum suo sanguine nec cum suis ploratibus; igitur benedictus sis Tu, qui nostra vulnera lavisti & mundasti & sanasti tuo sanguine & tuis benedictis lacrymis, & tuis angustiosis ploratibus: igitur, quoniam Tu, *Domine*, nos sanasti & mundasti tuo sanguine & tuis lacrymis, est rationabile, quòd demus laudem de Te effundendo nostrum sanguinem & nostras lacrymas.

21. Chyrurgum video conjungere herbas & pulveres, & facere ex eis emplastra,

&

& postea applicare ea vulneribus infirmorum ; & Tu, *Domine*, similiter fecisti vulnere, quo omnes eramus vulnerati & infirmi, quia conjunxisti divinam Naturam cum humana in nostra Domina sancta MARIA, & postea tua Deitas fecit emplastrum de tua Humanitate, quam applicavit vulnere, per quod tota humana natura erat corrupta.

22. h. *Domine DEVS, qui ordinas omnia secula, & sustines omnes creaturas ! Medicos videmus medicare & sanare infirmos, ut recipiant mercedem, per quam habeant, de quo possint vivere ; sed Tu non ita fecisti, quia voluisti mori, ut nos viveremus Tecum in gloria.*

23. Medici nolunt venire ad infirmos, donec petantur & mittantur eis nuntii; sed Tu, *Domine*, venisti sanare nos, quin Tibi miserimus nuntium; & quotidie, quin Te rogemus & petamus, venis sanare nos à peccatis, in quibus sumus.

24. Medicos corporis video, *Domine*, cognoscere infirmitatem per urinam & per pul-

pulsam; & medicos animarum video cognoscere infirmitatem peccatoris in pulchris vestimentis & in pulchro equitatu & in delicatis cibis & in pulchris lectis & in malis consuetudinibus.

25. i. *Fortis Domine super omnes fortitudines, potens super omnes potestates!* Quatuor complexiones infirmi video esse radices, de quibus oportet medicum corporis habere cognitionem, quia sine hac cognitione nesciret curare infirmum; & similiter quatuor res sunt, de quibus oportet medicum animæ habere cognitionem, scilicet duo motus & duæ intentiones, quæ sunt in homine; quia sine hac cognitione non posset cognoscere peccata.

26. *Amorose Domine!* Sicut omnem infirmitatem & omnem sanitatem humani corporis oportet provenire & descendere à quatuor qualitatibus & quatuor complexionibus, ita omnem infirmitatem & omnem sanitatem animæ oportet provenire à primo & secundo motu, & à prima & secunda intentione.

27. Qui

27.

Qui vult esse verus medicus animæ peccatricis, inquirat & addiscat, *Domine*, naturas & proprietates & ordinationes, quæ sunt in duobus motibus & in duabus intentionibus; quia per cognitionem, quam habebit de istis quatuor rebus, poterit habere cognitionem de omnibus infirmitatibus, à quibus peccatum derivatur, & de omnibus rebus, per quas peccatum potest deleri.

28. K. *Misericors Domine, plene dulcedine & pietate, perfecte in omnibus bonis!*

Sicut medicum physicum volentem invenire & cognoscere infirmitatem corporis oportet ipsam inquirere in natura corporis, ita medicum theologum volentem invenire & cognoscere infirmitatem animæ oportet eam inquirere in natura animæ.

29. Qui volunt invenire infirmitatem animæ, *Domine*, quærant eam in quinque potentiis, & tribus naturis, & quinque sensibus spiritualibus ipsius animæ; quia, sicut infirmitas corporis invenitur in radicibus, de quibus est compositum corpus, quæ radices sunt inordinatæ in ipso, ita infirmi-

tas

tas animæ invenitur in radicibus & potentiis & sensibus animæ inordinatis in ipsa.

30. Tuus servus & tuus subditus, *Domine*, Te precatur corde devoto & oculis lacrymosis, ut Tu, qui per omnes terras distribuisti medicos sanatores corporum hominum, mittas & diffundas per omnes terras beatos Religiosos, qui per tuam gratiam sint medici sanatores animarum hominum peccatorum, qui sunt ingrati & inobedientes suo Domino DEO.

CAPUT CXVI.

*QUOMODO HOMO VIDEAT ID,
quod faciunt Mercatores.*

1. **O** *DEVS* amorose, excellens super
a. *omnes altitudines, nobilis super omnes honorationes!* Tibi, *Domine*, dentur gloriæ & laudes, qui dedisti hominibus artem & officium mercaturæ; quoniam videmus mercatores habere officium permutandi res viles pro bonis, & videmus eos afferre ad
terras

terras illas merces, quæ in eis sunt necessarix, & ipsas ibi vendere caro pretio.

2. Nos videmus, *Domine*, quòd mercatores habeant scientiam & cognitionem lucrandi in pellibus & in coriis bestiarum; & ita, qui esset sapiens mercator, in tua gloriosa cute, quæ fuit lacerata & rupta & vulnerata in sancta Cruce, posset percipere magnum lucrum & magnam utilitatem. Etiam videmus, *Domine*, quòd mercatores cognoscant lucra, quæ facient in terris extraneis cum suis mercibus; & ita, qui esset sapiens mercator, posset cognoscere magna lucra, quæ posset facere in hoc mundo, in quo sumus tanquam extranei & exules à gloria paradisi.

3. Qui est bonus mercator istarum mercium corporalium, *Domine*, in illis rebus, quas emit, & quas vendit, scit lucrari & facere ad suam utilitatem, quia vendit caro pretio respectu pretii, quo emit: igitur, qui in Te vellet esse mercator emendo & vendendo, multum posset lucrari, si se ipsum daret & venderet pro Te; sed propter nostrum

nostrum peccatum pauci sunt mercatores,
qui cognoscant talem mercaturam.

4. b. *O Domine DEVS, á quo recepit
recreationem & salvationem & benedictio-
nem humana natura!* Nos videmus merca-
tores facere capitalarios, quos mittunt ad
lucrandum per mundum; & videmus capi-
tarios eis dare tertiam vel quartam par-
tem totius lucri, quod faciunt: unde bene-
dictus sis, *Domine DEVS*, qui es totum
nostrum capitale, de quo das nobis inte-
grum lucrum. Etiam videmus, *Domine*, ca-
pitale, quod mercatores tradunt suis capi-
tariis, esse denarios & pannos & coria &
alias merces, sed capitale, quod Tu nobis
tradidisti, fuit valde pretiosum & gloriosum;
quia fuit effusio sanguinis & lacrymarum &
graves labores & angustiosa mors.

5. *O Liber Domine!* Benedictus sis Tu,
qui dedisti nobis quinque sensus corpora-
les, ut cum eis simus sapientes mercatores,
& sciamus cum eis lucrari quinque sensus
spirituales; sed propter nostrum peccatum
videmus paucos mercatores, qui sciant lu-

crari

crari sensus spirituales cum corporalibus, imò videmus, quòd plerique homines hujus mundi perdant & inordinent sensus spirituales, ut possint possidere placita sensuum corporalium.

6. Quotidie videmus, *Domine*, vias & plateas plenas mercatoribus, qui commutant argentum pro auro, & dant res parvi pretii pro rebus pretiosis; sed ubi sunt mercatores, qui velint dare & commutare istum vilem & miserum mundum pro gloria paradisi, quæ est gloria dulcedinis, in qua perficiuntur & complentur omnes amores & omnes benevolentia & omnes felicitates? maledicti sunt illi, qui tuam gloriam perdunt pro vanitatibus hujus mundi, & beati sunt illi, qui hunc mundum dant & commutant pro altero.

7. c. Tuæ sanctæ Sapientia, *Domine DEVS*, quæ scit corda hominum, sit gloria & virtus semper; quia videmus, quòd regula & ars mercaturæ hujus mundi sit cognoscere, quænam merces sint meliores aliis, & quænam sint, in quibus possit ho-

mo lucrari vel perdere, & quasnam debeat dare pro aliis; sed mercatura alterius sæculi mihi videtur, quòd sit sapientia, per quam homo subdat sensus corporales spiritualibus, & sensualitates intellectualitatibus, & qui secundum istum modum negotiaretur, semper lucraretur.

8. *O Domine DEVS, qui es fons & flumen & mare aquæ, de qua homo recipit vitam perdurabilem!* Nos videmus mercatores, postquam lucrati sunt, redire ad suam terram lætos & gaudentes, & mercatores, qui perdiderunt, redire tristes & verecundatos, eò quòd perdiderint; & similiter accidit hominibus, qui de hoc mundo transeunt in alterum; quia, qui lucrati sunt tuam gratiam & tuum amorem, veniunt ad mortem libenter & gaudentes, & qui Te perdiderunt, veniunt ad ipsam tristes & angustiati.

9. Mercatores videmus, *Domine*, non percutere nec verberare nec torquere suos capitalarios, quando evenit, quòd redeant sine lucro & cum perditione capitalis, quod

eis

eis commiserunt, imò videmus eis committere aliud capitale, & eos mittere iterum ad lucrandum; sed mihi videtur, quòd Tu, *Domine*, non sequaris talem modum; quia, si nos perdamus capitale, quod nobis commifisti, & eamus in alterum sæculum sine capitali & lucro, nos torques & privas infinite omni capitali & omni lucro.

10. d. Sanctitas & Nobilitas & altum Dominium, quod est in Te, *Domine DEVS*, ametur & laudetur & ei serviatur omni tempore; quia mercatores videmus esse magis mundanos homines, qui sunt in hoc mundo; quoniam, cum eant per mundum, si vellent, sicut deferunt merces ex diversis terris, ita possent eligere & seligere bonas consuetudines & bonas educationes, quæ sunt in illis terris, per quas eunt & transeunt; sed ipsi deferunt merces, & nolunt deferre bonas consuetudines nec bonas educationes: igitur tuus servus est similis talibus nesciis mercatoribus, quia die & nocte mittit suam cogitationem & suas considerationes ad diversas res & ad diversa
loca,

Vo. II. Li. III. Dist. XXIII. Cap. CXVI. 157
loca, & non scit ex eis deferre res utiles, &
defert res viles & vitiosas.

11. *O gloriose Domine!* Quando memoro magnos defectus, quos feci & dixi tempore præterito, non invenio nec video, quòd ullus mercator fuerit magis stultus & nescius in sua mercatura, quàm ego fuerim; quia in omnibus rebus, quas emebam, perdebam, & in omni, quod vendebam, habebam detrimentum.

12. Non videntur mihi, *Domine*, sapientes mercatores illi, qui suam juventutem & suum tempus malè impendunt & expendunt in vanitatibus hujus mundi, nec mihi videntur sapientes illi, qui pluries perdunt, quàm lucrentur: igitur stultus mercator ego fui, qui meam juventutem adeò malè expendi & fere toto tempore nihil aliud feci, quàm perdere.

13. e. *O Rex mundi, propter quem tui servi plorant & suspirant & laborant ex omnibus viribus suarum animarum!* Nos videmus, *Domine*, multas merces esse, in quibus homo non potest lucrari, nisi eat ad quærendum.

dum & deferendum eas à longinquis terris, & per longas vias; sed, qui Te vult lucrari, non oportet elongare se à sua terra nec à suis cognatis nec à suis amicis, quia prope potest Te invenire, & in sua domo potest Te lucrari. Etiam videmus, *Domine*, quòd quando mercatores veniunt à suis peregrinationibus & fecerunt lucrum, deferant munera, quæ dant suis amicis & vicinis: igitur, cùm ego adeò parum lucratus fuerim in hoc mundo, si nunc morerer, pauca essent munera & bona opera, quæ deferrem in alterum sæculum.

14. Omnes mercatores, qui sciunt benè emere & vendere & benè lucrari, video laudari à gentibus, & eos video reputari sapientes: igitur, cùm Tu, *Domine*, nobis fueris lucratus gloriam alterius sæculi cum hoc mundo, qui est vilis & miser, quomodo potest esse, quòd mercatores hujus mundi laudentur in suis mercaturis, & Tu non lauderis & benedicaris in sapienti mercatura, quam fecisti in nobis, quos lucratus es, & eripuisti à potestate diaboli?

15. Multos mercatores video, *Domine*, qui sunt nescii, licet appellentur sapientes; & id, in quo cognosco ipsos esse nescios, sunt merces, quas video eos emere & vendere, per quas possident delectationes temporales, & perdunt gloriam cœlestem.

16. f. *Domine sapiens, virtuose, plene misericordiâ & gratiâ!* Ubi sunt mercatores, qui velint emere ploratus & lacrymas & suspiria & amores & labores & dolores & mortem pro tuo amore, & ad dandum laudem de tuis honorationibus? videtur mihi, quòd de nullis mercibus tractent homines adeò parum, sicut de istis.

17. Id, de quo mercatores plus tractant in hoc mundo, *Domine*, est emere hæreditates & equos & pannos & coria & honorationes mundi & famam & existimationem, quam volunt habere apud gentes, & per quamcunque partem eam, & ubicunque sim, video omnia loca plena talibus mercatoribus.

18. Mercatores ementes videmus, *Domine*, solvere merces aliis, à quibus eas emunt;

emunt ; sed mihi videtur, quòd non sit ita de Te, qui Te vendidisti, & nos emisti tuo Sanguine & tuo glorioso Corpore , & nos non damus Tibi solutionem, quam deberemus ; & secundùm hoc videmus nullum mercatorem esse adeò injuriatum in suis mercibus sicut Tu.

19. g. *Domine DEVS, in quo potest homo adorare Trinitatem & Vnitatem!* De Te me in amoro plorando, & in Te me consolor & confortor; quoniam mercatores hujus mundi video frequenter perdere in hoc, quod emunt, & in hoc, quod vendunt, sicut Judas Iscariotes perdidit, quando Te vendidit, & judæi perdiderunt, quando Te emerunt.

20. Illi mercatores mihi videntur sapientes, *Domine*, qui lucrantur, quando alii perdunt, & qui sciunt permutare vitia pro virtutibus, & qui non redeunt libenter in terras, in quibus perdiderunt: igitur per contrarium mihi videtur, quòd ego non fuerim sapiens mercator, quia perdidi in rebus, in quibus alii lucrabantur, & reliqui

vir-

virtutes pro vitiis, & redivi ad loca, in quibus solebam perdere: quare per hoc possum cognoscere, quòd fuerim mercator ad perdendum & non ad lucrandum.

21. Tui beati Apostoli & tui Discipuli, *Domine*, qui pro tuo amore fuerunt in hoc mundo tribulati & ignominiati & occisi, mihi videntur fuisse sapientes mercatores, quia lucrabantur in omni, quod emebant; quoniam Te emebant, quoties pro Te laborabant; & lucrabantur in omni, quod vendebant, quia ploratus & dolores & mors, quam sustinebant, erant merces, quas vendebant.

22. h. Tibi, *Domine DEVS*, qui es Amator omnium bonorum, & qui odio habes omnes culpas & peccata, fiat reverentia & honor; & malis mercatoribus, qui eunt per terras dicendo mendacia & faciendo deceptiones, cognoscatur & detur omnis vilitas & omnis miseria.

23. Perversos mercatores videmus, *Domine*, in rebus, quas emunt & vendunt, assumere in suo ore tuum nomen jurando

L

per

per Te, ut possint decipere homines, quibus vendunt, & à quibus emunt; & de hoc valde miror, quòd ipsi possint Te nominare ore habendo in corde doemonem, qui facit eos jurare & perjurare & decipere gentes.

24. Mercatores, qui sunt sapientes, *Domine*, & habent artem lucrandi, postquam venerint à negotiatione, sciunt, quantum lucri fecerint, vel quantum detrimenti habuerint: igitur non fui ego sapiens mercator, quia in nocte, quando veniebam ad lectum, nesciebam, quid perdideram, vel quicquid lucratus eram in die.

25. i. *O Domine amate! O Domine virtuose! O Domine, fons & flumen Sapientia & Bonitatis!* In omnibus mercibus, quas videmus in hoc sæculo, videmus esse astutias & deceptiones gentium ratione falsorum mercatorum, qui eas tractant & falsificant; & tota ista deceptio fit, quia volunt emere vili pretio & vendere magno pretio: igitur benedictus sis Tu & omne, quod tuum est; quia per hoc, quòd volueris de tua

Hu-

Humanitate facere bonam mercaturam, & volueris emere tuos populos magno pretio, evenit, quòd in nulla mercatura, quam homo faciat in Te, & quam Tu facias in eo, possit esse ulla fraus nec ulla falsitas, nec aliquid, de quo sequatur damnum.

26. *Amabilis Domine!* Nos videmus, quòd mercatores habeant plus iræ & displicentiæ, quando habent detrimentum, quàm lætitiæ & placiti, quando habent lucrum; & totum hoc evenit, quia sunt avari & cupidi divitiarum, & non lucrantur tantum, quòd possint satiari divitiis; & quando perdunt, statim desperant, & videtur eis nunquam posse recuperare id, quod perderunt.

27. Mercatores congregantes divitias & vitia videmus, *Domine*, in hoc mundo reputari sapientes & industriosos & laudari à gentibus; sed mercatores scientes lucrari in hoc mundo virtutes & gratiam & benedictionem à suo Domino, & à suo Creatore, videmus reputari nescios & stultos, & contemni & irrideri à gentibus: igitur quæ-
nam

nam res est mirabilior ad videndum, quàm ista?

28. K. Tua Sanctitas & tua Misericordia & tua Pietas, *Domine DEVS*, sit amata & laudata, quia in nulla taberna mercatoria nec in ullo reconditorio mercium nec in ullis nundinis nec in ullo foro nec in alio loco potest homo invenire adeò bonas merces ad emendum, sicut in figura sanctæ Crucis pretiosæ, quia in ea inveniuntur ad emendum omnes gratiæ & omnes beatitudines & omnes gloriæ.

29. Qui vult emere bono pretio, *Domine*, veniat ad tuum gloriosum Altare, & respiciat sanctam Crucem, in qua pendet tua Figura; quia ibi poterit emere bono pretio, si det bona temporalia pro bonis spiritualibus; & qui vult vendere se ipsum magno lucro, tradat se morti pro tua laude & pro tuo amore; quia, si se ipsum det, lucrabitur Te, qui es nobilior Essentia, quæ possit esse, & lucrabitur se ipsum.

30. Melior mercatura, quæ sit, *Domine*, est amare & honorare Te & servire Tibi;
quia

quia nullatenus potest homo in ea perdere nec habere detrimentum ; & melior industria, quam homo possit habere in suis meritis, est, quòd incedat per primum motum, & habeat ordinatam intentionem, & sequatur naturam & proprietatem potentiae rationalis, & fugiat à natura & proprietate potentiae sensitivæ ; & , qui talem modum haberet, semper lucraretur ad gloriam & placitum sui Domini DEI.

CAPUT CXVII.

*QUOMODO HOMO VIDEAT ID,
quod faciunt Marinarii.*

r.
a. **D***ivine Domine, á quo accepimus gratiam & benedictionem ! Tibi cognoscatur sanctitas & gratia & gloria & magnitudo & honor semper ; quoniam videmus esse homines euntes per mare ad diversas partes in navibus & in galeris & barchis & aliis navigiis ; & quosdam videmus ire propter mercaturas, alios ad pugnandum contra*
ini-

inimicos, alios ad capiendum pisces; & intra hæc tria officia videmus laborare & se exercere marinarios.

2. Marinarios videmus, *Domine*, apponere navibus gubernacula, ut rectè incedant per mare, & ut naves dirigant ad loca, ad quæ volunt ire: unde benedictus sis Tu, qui dedisti homini legem & veram fidem, per quam possit pervenire ad tuam præsentiam in gloria.

3. Marinarios videmus, *Domine*, ponere arbores ad modum crucis, ut vela impleantur vento & ventus eos eripiat à tempestate maris: igitur benedictus sis Tu, qui de tuo capite & de tuis brachiis & pedibus in tua Morte formasti crucem, per quam fideles Christiani eriperentur à gravibus catenis, quibus erant vincti sub potestate dæmonis.

4. b. *Domine juste, Domine sapiens, Domine amorose & dulcis & simplex & suavis!* Marinarios pugnatores & prædatores videmus in sua navigatione habere majores labores & incommoditates, quàm alios homines;

mines; quia nulli homines ita miserè comedunt & bibunt & jacent, sicut ipsi, nec ulli habent tot pœnas, quot ipsi habent.

5. Si marinarii, *Domine*, labores, quos perferunt ad lucrandum denarios, perferrent pro amore Tui, essent valde boni homines, & haberent magnam gloriam; sed, quia ipsi non eos sustinent pro amore Tui, video, quòd sint pejores & plus dissoluti homines, qui sint in toto mundo.

6. Benedictus sis, *Domine DEVS*, qui es adeò verus Judex, quòd marinarios facias esse homines, qui plus laboris sustinent in hoc mundo, quia ipsi ad habendum denarios & divitias & istas delectationes temporales plus laborant, & pluribus periculis se exponunt, quàm alii homines.

7. c. Mei oculi vident, *Domine*, piscatores ad capiendum pisces inescare hamos pisce, & cum illo pisce capere alios pisces; & similiter videmus Te fecisse, qui de tuo glorioso Corpore fecisti escam humano generi, ut ipsum recreares à peccato primi Parentis; & ratione hujus video multos sanctos ho-

homines dare se ipsos bonis operibus, ut possint piscari peccatores, & eos extrahere de errore & de peccato.

8. Si Tu, *Domine DEVS*, piscatus es nos jejuniis & ploratibus & suspiriis & sudoribus & laboribus & gravi morte angustiosa, multi homines religiosi sunt, qui quotidie jejunant & plorant & suspirant & laborant ad dandum laudem de Te, & ad dolendum de suis peccatis, & ad utilitatem suorum proximorum.

9. Multos perversos piscatores videmus, *Domine*, in hoc mundo volentes piscari peccatores verbis, & non facientes id, quod dicunt, nec tradentes se morti nec labori, ut peccatores extrahant à peccato; & istud piscari verbis sinè bonis operibus non est perfecta piscatio.

10. d. *O Domine DEVS, qui es magnus & sapiens & honoratus, & Dominus completus omnibus bonis!* Marinarios videmus esse obedientes Directori navis, & propterea ipsum ducere navem, quòcunque vult; sed non est ita de me, quia membra mei corporis no-

lunt

lunt obedire suo majori scilicet rationi & intellectui animæ; & ideo navis mei corporis est fere derelicta, & est tanquam navis, quam ventus ducit quòcunque vult.

11. Sapientem Dominum navis videmus, *Domine*, peritiores marinarios, quos possit invenire, conducere ad suam navem, ut possit custodire & salvare personas & navem & merces, quæ ipsi sunt commissæ; sed ego feci oppositum, quia potentiam sensitivam, quæ est peior inimicus mei corporis, feci dominam & custodem ipsius, & meos majores inimicos admisi ad custodiendum meum corpus; & propterea vitia & sensualitas quotidie ducunt meum corpus & meam animam ad præcipitium & destructionem in igne perdurabili.

12. Maligni marinarii, qui tenent meum corpus in sua potestate, *Domine*, sunt superbia & luxuria & ira & invidia & malevolentia & falsitas & ingratitude & cupiditas & impatientia: igitur, cum tales marinarii sint occisores & destructores omnium rerum, quæ eis homo committit, & quas

ha-

habent in sua potestate, videtur mihi, quòd, dum sum sub potestate ipsorum, nunquam potero pervenire ad portum salutis.

13. e. *Domine vere DEVS, propter quem plorant mei oculi, & suspirat meum cor, & laborat meum corpus!* Nos videmus marinarios in sua navigatione se dirigere per stellam polarem; sed marinarii mei corporis sunt adeò inordinati & mihi contrarii, quòd non velint se dirigere respiciendo ad tuam Bonitatem nec ad tuum altum Dominium; & si marinarii jaciunt anchoras, ut navis stet firma & secura, marinarii mei corporis nolunt habere spem in tua Misericordia.

14. *O Pie Domine!* Cùm mea navis sit derelicta, & sit in potestate suorum inimicorum, nisi Tu mihi succurras per tuam sanctam pietatem, submergetur vel frangetur in rupibus, quæ adhuc sunt tinctæ sanguine aliarum navium; quæ in eis sunt confractæ & perditæ.

15. Sapientes marinarios videmus, *Domine*, quando habent ventum contrarium,

Vo. II. Li. III. Dist. XXIII. Cap. CXVII. 171
resistere quantum possunt, & facere circumflexus per mare exspectando ventum favorabilem ad progrediendum in sua navigatione; sed marinarii meæ navis non habent sapientiam, quâ sciant resistere vanitatibus hujus mundi, quæ deviant hominem à via divinæ gloriæ, & adducunt eum ad pœnas perdurabiles, imò sinunt ire navim ad illas partes, ad quas vanitates hujus mundi eam impellunt.

16. f. *O Domine virtuose, honorate super omnes honorationes, durabilis super omnia tempora!* Nos videmus, quòd navigia in mari non semper habeant tempestates nec contrarium ventum, imò multoties habeant ventum favorabilem & tranquillitatem; sed navis mei corporis, quòcunque eat, & ubicunque sit, semper habet tempestates & tribulationes & labores & adversitates: adeò tentatur & incitatur ad peccata.

17. Quando navis agitur in profundo mari undis & vento & pluviâ & tempestate, semper attendit ad portum salutis; sed mea navis, *Domine*, facit oppositum, quia
est

est adeò malè provisa & custodita, quòd, quando habet tempestatem, & agitur per iram vel per superbiam vel luxuriam vel per alia vitia, non recurrat ad portum gratiæ & benedictionis, imò se elonget ab eo, ut pereat & submergatur in perdurabilibus poenis.

18. *Humilis Domine, plene gratiâ!*
 Quando naves habent ventos contrarios & fortes in mari, non habent tempestatem nec tribulationem intra se ipsas, imò tota tempestas provenit ab extra scilicet à mari & vento; sed, quando mea navis est in tempestate & tribulatione, intra & extra habet eam, quia extra tribulatur à sensibus corporalibus, & intra à spiritualibus.

19. g. Tuæ Altitudini & tuæ Magnitudini & tuo honorato Dominio fiat, *Domine*, honor & reverentia omni tempore; quia videmus, quòd marinarii, quando volunt navigare, expectent tranquillitatem & ventum favorabilem, & postea incipiant suam navigationem; sed nunquam vidi adeò stultos & nescios marinarios, sicut sunt marinarii

marinarii meæ navis, quia non expectant tranquillitatem nec ventum favorabilem, imò quò periculum est majus, eò plus audent se ipsi exponere.

20. Marinarios videmus, *Domine*, onerare naves illis mercibus, quæ eis videntur esse utiles, & in quibus possint lucrari; sed marinarii meæ navis non onerant meam navem, nisi vilioribus & inutilioribus rebus, quas possunt invenire. Etiam videmus, *Domine*, marinarios aliarum navium onerare naves secundum quod ipsæ possunt portare; sed marinarii meæ navis onerant meam navim, quousque periclitetur & deficiat, & non possit portare onus.

21. Marinarii, *Domine*, faciunt in navi sentinam, ut in ea congregentur omnes aquæ & immunditiæ, quæ fiunt in navi, sed mea navis per omnia loca & per omnes partes & per omnes suas extremitates foedatur & conspurcatur per opera peccati: igitur quænam navis est adeò foeda & vilis & malè ordinata, sicut mea?

22. h. *Domine vere DEVS, qui complex*
E

& *beneficias tuos populos tuâ Misericordiâ & Gratiâ & Benedictione* ! Nos videmus, quòd marinarii, quando habent magnam tempestatem & sunt in periculo submerfionis, projiciant in mare merces ad alleviandum navim, ut possint meliùs resistere tempestatì; sed nescii marinarii meæ navis faciunt oppositum; quia, quando mea navis plùs agitur & est in majori tempestate & tribulatione, tunc plùs onerant eam, ut pereat. Etiam videmus, *Domine*, quòd marinarii, quando habent tempestatem & periclitantur, extollant voces & clamores erga Te, & memorent tuam Potestatem & Misericordiam, & confidant in Te, quòd eos adjuves; sed marinarii meæ navis, quò plùs sunt in periculo, eò plùs obliviscuntur Tui & tuæ Misericordiæ.

23. Sapientes marinarios videmus, *Domine*, de nocte destinare vigiles, qui custodiant navim, ne invadatur à malis hominibus, nec per ventum & tempestatem ducatur ad saxa, sed marinarii meæ navis, quò plùs meum corpus est in tenebris, eò majorem

Vo. II. Li. III. Dist. XXIII. Cap. CXVII. 175
jorem pigritiam & negligentiam habent, & propterea mea navis die & nocte est exposita ad periclitandum in vanitatibus hujus mundi.

24. Quando naves sunt in pelago valde distantes à terra, si aliquis marinario- rum moriatur, videmus, *Domine*, quòd eum projiciant in mare, & ipse submergatur & comedatur à piscibus; sed marinarii huma- ni corporis, postquam occiderunt animam in peccato, & ipsa sit separata à corpore, projiciunt eam ad sustinendum perdurabi- les ignes infernales, & projiciunt corpus in terram, ut comedatur à vermibus.

25. i. *Juste Domine virtuose, potens super omnes potestates!* Nos videmus, quòd ma- rinarii volentes incipere navigationem pro- videant sibi de victualibus, & omnibus, quibus indigent in via, & secundum quòd navigatio est longa, assumant victualia; sed marinarii meæ navis, licet sciant, quòd mea navis debeat transire de hoc sæculo in alte- rum, & quòd navigatio sit longior, quæ fie- ri possit, tamen non provident sibi de vic-
tualibus

tualibus in hoc mundo, per quæ mea navis possit requiescere in perdurabili gloria.

26. Naves video, *Domine*, venire quotidie ad portum salutis & adferre lucrum, & marinarios venire sanos & lætos; sed mea navis quotidie periclitatur, & non scit adferre lucrum, nec venire ad portum salvationis; & totum hoc evenit per hoc, quòd habeat malos marinarios, qui quotidie conantur ei multiplicare dolores & languores & labores, & eam ducere ad ardendum in igne perdurabili.

27. Marinarios navigantes per mare videmus, *Domine*, scire computare milliaria viæ, quam facturi sunt, & viam, quam faciunt die & nocte, & cognoscere ventos favorabiles & contrarios; sed nunquam vidi ita nescios marinarios, sicut sunt marinarii meæ navis, quia non sciunt, quàm longa sit via, quam facturi sunt, nec sciunt, quàm magnum spatium pertranseant, nec sciunt quænam res sint eis favorabiles & quænam contrariæ: igitur quinam sunt
adeò

adeò nescii marinarii sicut marinarii meæ navis?

28. K. Deitas & gratia & sanctitas & gloria & benedictio cognoscantur Tibi, *Domine DEVS*; quia nunquam vidi ullam navim adeò malè dispositam & præparatam sicut est mea; quoniam omnia sua instrumenta & utensilia sunt in putrefactione & corruptione & foetore & deformitate; & stultiores & ignorantiores marinarios, qui possint inveniri, video esse in ea, & nunquam vidi ullos marinarios habere viliora & deteriora victualia, quàm ipsi.

29. Nunquam vidi ullam navim, *Domine*, deterioris lucri, quàm sit mea, nec unquam vidi navim, quæ adeò parum possit resistere tempestatibus sicut ipsa, nec unquam vidi navim magis paratam ad naufragium, quàm sit ipsa: igitur quid valet mea navis, cum habeat tantam vilitatem in se ipsa?

30. Sicut marinarii, *Domine*, quando periclitantur in mari, clamant ad Te, & confidunt in Te, ita tuus subditus & tuus

M

homo

homo filius tuæ ancillæ clamat ad Te, & Te precatur videndo suam navim periclitari in tempestate peccatorum, & petit à Te gratiam, ut munias suam navim virtutibus, & expellas ab ea vitia, quæ habet in se ipsa; &, nisi eum exaudias, ipsa peribit taliter, quòd nunquam perveniet ad portum salutis nec ad præsentiam sui DEI.

CAPUT CXVIII.

QUOMODO HOMO VIDEAT ID,
quod faciunt Moriones.

1. **O** *DEVS Pater cælestis, in quo est*
a. **O** *mnis sanctitas & dominium & gloria & benedictio! Ars morionum incepit, Domine, ad laudandum & benedicendum Te, & propterea fuerunt adinventata instrumenta & choreæ & novi soni, quibus homo lætaretur in Te.*

2. Sed, secundum quod videmus, *Domine, nunc temporis, tota ista ars est mutata; quia homines, qui se ingerunt ad*
pul-

pulfandum instrumenta, & ad faciendum pulchros saltus & novas compositiones cantionum, non cantant, nec pulfant instrumenta, nec faciunt cantica nisi de luxuria & vanitatibus hujus mundi.

3. Qui pulfant instrumenta, *Domine*, & qui cantant cantiones impudicas, & qui cantando laudant illas res, quæ non sunt dignæ laudari, sunt maledicti; quia pervertunt artem à fine, propter quem fuit inventa à principio, & qui in instrumentis & choreis & cantionibus lætantur & jucundantur in tua laude & in tuo amore & in tua bonitate, sunt beati, quia conservant artem secundum finem, propter quem fuit principiata.

4. b. Paternitas & Filiatio & Processio cognoscatur omni tempore tuæ sanctæ simplici Unitati, *Domine DEVS*; quia videmus amari & honorari moriones & inventores cantionum per hoc, quòd cantent & saltent & componant versus & cantica & saltationes & tripudia; & per pulchritudinem saltationum & verborum & novarum

rum rationum & sonorum, quos inveniunt, video, quòd homines eos auscultent & petant & desiderent & velint & ament.

5. Si homines, *Domine*, respicerent malum, quod sequitur per moriones & per inventores cantionum, & quomodo ipsorum cantiones & instrumenta contineant opera vilia & pauca utilitatis, ipsi non ita bene reciperentur nec acceptarentur sicut nunc.

6. Per instrumenta, quæ pulsatores pulsant, & per novas rationes, quas inveniunt & cantant, & per novas choreas, quas faciunt, & per verba, quæ dicunt, est in oblivione tua Bonitas, *Domine*, & magna gloria & magna poena alterius sæculi; & per hoc, quod ipsi faciunt, memorantur omnia opera peccatorum, & amantur omnes modi, per quos homo est inobediens suo Domino & suo Salvatori.

7. c. *Æterne Domine*, in quo perficiuntur omnes gloria & omnes nobilitates & omnes virtutes! Nos videmus per hoc, quod moriones faciunt & dicunt, esse contentiones &

Vo. II. Li. III. Dist. XXIII. Cap. CXVIII. 181
& bella & pugnas inter Principes & Equites
& populos, & per ipsos viduari mulieres &
corrumpi virgines, & per ipsos fieri homi-
nes elatos & superbos & ingratos & illega-
les.

8. Moriones videmus, *Domine*, de noc-
te ire per plateas & vicos pulsando instru-
menta, ut moveant corda foeminarum ad
luxuriam, & ut sint infideles suis maritis;
igitur non solum de die faciunt & procu-
rant malum, sed etiam de nocte, quando
omnia sunt occasionata ad cessandum à
malo.

9. Moriones videmus, *Domine*, esse de-
tractores & excitatores malevolentiae in-
ter unum Principem & alium, & inter
unum Baronem & alium; & per malam fa-
mam, quam seminant, & per odium & ma-
levolentiam, quam excitant, videmus def-
trui imperia & regna & comitatus & terras
& villas & castella: igitur quinam homines
faciunt tantum mali in hoc mundo sicut
ipsi?

10. d. *O Domine DEVS, qui custodis &*
salvas

salvas & beneficia tuos populos ! Nos videmus, quòd moriones assumpserint artem & modum mentiendi, quia illa, quæ non sunt digna laudari, & quæ deberent vilipendi & contemni, dicunt esse bona & vera & nobilia; & illa, quæ sunt vera & digna laudari, reprehendunt & derident & maledicunt & contemnunt.

11. Si aliquis homo, *Domine*, est magnus luxuriosus & derisor & dissipator & plenus vitiis & peccatis, laudatur & appetitur & amatur à morionibus; & homines veraces & honesti & sapientes & bonorum morum, dis-amantur & vituperantur ab ipsis.

12. Ratio, quare moriones sunt mendaces, & reprehendunt id, quod est laudandum, & laudant id, quod est reprehendendum, est, *Domine*, perversitas malorum Principum & stultorum divitum, qui amant falsitatem, & odio habent veritatem; quoniam propter hanc voluntatem, quam ipsi cognoscunt in Principibus & magnis Dominis, assumunt modum mentiendi, & faciunt & dicunt

Vo. II. Li. III. Dist. XXIII. Cap. CXVIII. 183
dicunt id, quod Principes & magni Domini
amant & volunt.

13. e. Fortitudo & Virtus & Sanctitas &
Magnitudo & Benedictio & Nobilitas cog-
noscantur esse in Te, *Domine DEVS*; quia
valde desidero videre veros moriones, qui
laudent id, quod est laudandum, & vitupe-
rent id, quod est vituperandum. Etiam de-
sidero, *Domine*, nullum hominem scire com-
ponere cantiones nec cantare nec pulsare
ullum instrumentum, nisi sit servus & mo-
rio veri amoris & veri valoris, & subditus
veritati & amator ipsius.

14. Quotidie videmus, *Domine*, morio-
nes incedere tanquam stultos & simulare
amentiam, & reverà sunt astuti in congre-
gando denarios inter gentes nescias: igitur
cúm ad congregandum denarios homines
suscipiant istum modum, valde miror, quo-
modo possit esse, quòd ad amandum & lau-
dandum Te, & ad consequendum à Te gra-
tiam & benedictionem non sint multi ho-
mines euntes tanquam stulti per curias Re-
gum & aliorum Baronum reprehendendo
peccata,

peccata, quæ in eis committuntur contra tua mandata.

15. Valde miror, *Domine*, quomodo possit esse, quòd iste mundus, qui est vilis & miser & transitorius & pauper omni valore, habeat plures moriones & laudatores, quàm Tu, qui es perfectus, æternus & completus omnibus bonis; quia, qui bene aspiciat, videbit omnes terras plenas morionibus, quoniam quilibet homo est morio ad laudandum se ipsum; sed tui moriones sunt adeò pauci, quòd vix appareant inter nos.

16. f. *Domine fortis super omnes fortitudines, potens super omnes potestates!* Ideo sunt in hoc mundo tot moriones, quia Principes & homines divites dant magna dona hominibus, qui eos laudant: igitur, cùm Tu sis adeò bonus Dator, & des adeò magna & nobilia dona, quomodo potest esse, quòd non habeas plures laudatores, quàm homines vanigloriosi hujus mundi? & quomodo potest esse, quòd ullus homo se jactet & dicat se esse morionem & benedictorem

tozem Tui: dummodo ornet & pingat sua verba, ut laudetur à gentibus, cum secundum veritatem plus sit morio sui ipsius, quam Tui?

17. Si omnes moriones, *Domine*, qui sunt laudatores Principum & hominum mundanorum & vanitatum hujus mundi & sui ipsorum, & omnes, qui sunt hypocritæ, & laudant Te, ut laudentur à gentibus, & ut possint habere delectationes temporales, segregarentur ad unam partem, qui Te laudant & benedicunt verâ intentione & vero amore, essent pauci respectu illorum.

18. Licet veri moriones, qui laudant Te, *Domine*, sint pauci respectu aliorum mendacium, tamen valent multo plus, quam ipsi; quia plus valet laus unius morionis veri, quam omnes laudes omnium mendacium; quoniam, qui laudat mentiendo, non laudat, imò vituperat, nec honorat, quem laudat, imò ipsum inhonorat.

19. g. *O Domine vere DEVS, qui illuminas corda fidelium Christianorum verâ fide*

186 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
de & bonis operibus: Vellem videre morio-
nes, qui irent per plateas & per curias Prin-
cipum & aliorum Baronum dicendo pro-
prietatem, quæ est in duobus motibus & in
duabus intentionibus, & proprietatem &
naturam, quæ est in quinque sensibus cor-
poralibus & in quinque spiritualibus, & di-
cerent omnes proprietates, quæ sunt in
quinque potentiis animæ.

20. Si tales moriones irent per mun-
dum, *Domine*, essent veraces, & laudarent
id, quod est laudandum, & reprehenderent
id, quod est reprehendendum; sed, quia
gentes nolunt reprehendi, & volunt laudari
de suis defectibus, ideo sunt adeò pauci mo-
riones veraces & adeò multi mendaces.

21. Qui volunt esse moriones veritatis
laudando & honorando & amando Te, *Do-
mine*, & serviendo Tibi, veniant & addis-
cant istam *Artem Contemplationis*, quia in
ca invenient multas novas rationes & multa
pulchra verba, per quæ poterunt laudare &
amare Te & servire Tibi; *quoniam totum
istud Opus est principiatum & factum ad
dandum*

*dandum laudem de Te, & ad accendendum
amorem erga Te, & ad honorandum Te.*

22. h. *Domine vere DEVS, qui Te in-
carnasti in nostra Domina sancta MARIA,
ut recreares humanum genus ! Nos videmus,
quòd moriones saltent & cantent & pul-
sent instrumenta coram hominibus, ut eos
moveant ad lætitiã & placitum; & post-
quam eos lætificaverint, videmus, quòd ab
eis petant mercedem : igitur benedictus sis
Tu, qui voluisti esse homo, & voluisti plo-
rare & affligi & angustiari & torqueri &
occidi, ut lætificares nos in gloria para-
disi.*

23. *Si moriones, Domine, per artem &
subtilitatem, quam habent, sciunt concor-
dare notam & saltum & cantum, quem fa-
ciunt in instrumentis cum nota, quam ima-
ginantur in corde, quomodo potest esse istud
mirum, quòd non sciant aperire suum
cor ad laudandum Te, & ad cognoscen-
dum se non debere laudare ullam rem, de
qua deveniat malum ? & quomodo potest
esse, quòd non cognoscant se esse obligatos
ad*

ad laudandum Te, à quo deveniunt omnia bona?

24. Multi homines nescii, *Domine*, dant morionibus dona meliora, quàm ad se pertineat dare, & ad moriones recipere; & postquam moriones receperunt dona ab eis, qui plus reputant eos nescios, sunt ipsi moriones.

25. i. *Divine Domine*, in quo uniuntur omnes amores & omnes cogitationes & omnes considerationes, quæ sunt bona! Moriones mendaces maledicos videmus induere vestes regias, & comedere coram Principibus de nobilibus cibis, quos Principes comedunt; sed miseros pauperes pro amore Tui petentes, qui desiderant posse habere cibos, qui supersunt morionibus, videmus detineri extra palatium indutos vilibus pannis laceratis, & mori præ fame, & non esse, qui eis aperiat portam, nec qui bonam faciem eis ostendat, nec qui bene eis respondeat.

26. Morionibus videmus, *Domine*, dari equos & palefridos & vasa argentea & nobilia vestimenta, & denarios aureos & argenteos

Vo. II. Li. III. Dist. XXIII. Cap. CXVIII. 189
genteos & alia opulenta dona, sed miseris
pauperibus, qui totâ die Te nominant, &
ad Te clamant, videmus dari vilia dona;
quia parvulâ monetâ vel frustulo panis vel
laceratâ veste putant homines satisfacere
magnæ paupertati ipsorum.

27. Moriones videmus, *Domine*, quan-
do eis dantur dona, non agere Tibi gratias,
quantumcunque dona magna sint, & quid-
quid eis detur, dissipare & malè impendere;
sed non est ita de pauperibus ostiatim pe-
tentibus eleemosynam; quia quantumcun-
que parum eis detur, Tibi gratias agunt, &
custodiunt id, quod eis superest pro tem-
pore necessitatis, quando non inveniunt,
qui eis aliquid det.

28. K. *Vere Domine, cui sit gloria & laus
semper!* In toto mundo non video ullam ar-
tem adeò vilificatam, sicut est ars morio-
num; & hoc provenit ex hoc, quòd mo-
riones sint mendaciores & injuriosiores ho-
mines & plûs detractores, qui sunt in toto
mundo; & etiam ex hoc, quòd nulli ho-
mines vivant cum tanta molestia gentium,
sicut

sicut ipsi ; nec ullis hominibus tot res denegantur, quot denegantur ipsis: & hoc est, quia nulli homines adeò frequenter petunt, sicut ipsi.

29. Ratio, quare est adeò abjecta ars morionum, est, *Domine*, quia ipsi laudant homines mentiando, & illos, qui eis non dant, vituperant mentiando; & quia homines mundani amant vanam gloriam, propterea eis dant, ne dicant malum de ipsis, & ut dicant bonum, quod non est in ipsis.

30. Cúm tuus servus & tuus subditus, *Domine*, fuerit tempore præterito falsus laudator & mendax maledictor, quoniam

Tu eum respexisti oculis piis plenis misericordiâ, imposterúm proponit esse

verus morio in dando veram lau-

dem de suo Domino

DEO.

QUOMODO HOMO VIDEAT ID;
quod faciunt Pastores.

1. **O** *DEVS* gloriose, qui es unus in Tri-
a. *nitate*, cui detur & cognoscatur om-
nis sanctitas & omnis virtus & omnis benignitas: Pastores videmus, *Domine*, custodire gregem, & eum defendere à lupis & à feris bestiis & furibus & à malis hominibus; sed multos homines videmus, qui non sciunt defendere à peccato suam potentiam sensitivam, quæ est res bestialis, & sciunt defendere gregem à feris bestiis: unde hoc est magna stupiditas, quòd homines plus sciant custodire bestias, quàm suammet bestialitatem.

2. Perversiorem bestiam & difficilior-
rem ad custodiendum, quæ sit in toto mun-
do, mihi videtur, *Domine*, esse potentiam sensitivam, quæ est in homine; quia oves & capræ vel aliæ bestiaæ semper obediunt suo pastori, sed ipsa non vult obedire rationi,
quæ

quæ est suus pastor, imò ratione invitâ vadit per longas & obliquas & asperas vias, & ubicunque sit locus malus & periculofus, ad eum vadit die & nocte.

3. Ratio, quare potentia sensitiva, *Domine*, est adeò perversa bestia & adeò malè custodibilis, est, quia quandoque vult facere res indignas fieri, & vult impedire res dignas fieri, & ista voluntas evenit ei à propinquitate, quam habet cum privatione, per quam vult privare bonum, quod est in anima, & ponere in ea malum: unde benedictus sis, *Domine*, quia tota ista mala natura est in potentia sensitiva accidentaliter per peccatum.

4. b. *O Domine vere DEVS, qui visitas & consolaris beatos, qui in hoc seculo pro tuo amore habent labores & tribulationes & pœnas!* Nos videmus, quòd, quando pastor perdidit ovem vel capram vel aliquam aliam bestiam, vadat eam quærendo & petendo; &, quando non potest eam invenire, multoties ploret: igitur, cùm sensus spirituales sint pastores sensuum corporalium, quando

quando aliquis sensuum corporalium perditur in sylva peccati, quæ est prosperitas temporalis, quomodo potest esse, quòd sint adeo negligentes pastores, quòd non eant quærere bestiam, quam perdididerunt?

5. Si bestia custodirent pastorem, sicut pastor custodit bestias, esset, *Domine*, res valde extranea & valde mirabilis: igitur istam rem videmus, quando sensualitates hominis volunt custodire intellectualitates, & intellectualitates se sinunt duci à sensualitatibus per omnia loca, quæ sensualitates volunt.

6. Omnis pastor, *Domine*, est stultus & nescius, qui suum gregem ducit per mala pascua, & per loca, in quibus non possit vivere nec proficere: igitur stultæ & nesciæ sunt meæ sensualitates, quæ meas intellectualitates ducunt per mala & periculosa loca, in quibus non faciunt, nisi perdere & detrimentum pati; veruntamen, licet ita sit, quòd intellectualitates patiantur detrimentum, quotiescunque se permittunt duci à sensualitatibus, tamen majus placitum ha-

N

bent

bent homines plerumque, quando sensua-
litates sunt super intellectualitates, quàm
quando sunt sub ipsis.

7. c. Bonitas & Sanctitas & Magnitudo
& Virtus & omnis Nobilitas cognoscantur
Tibi, *Domine DEVS*; quia Tu vides
meam bestiam sensitivam non timere suum
pastorem, nec eum amare, nec meam ratio-
nem posse eam tenere sub potestate, adeò
est indomita & mala bestia; sed omnes
alias bestias video timere suum pastorem,
& permittere se regi, administrari & tan-
gi ab ipso.

8. Nunquam vidi, *Domine*, adeò ma-
lam & perversam bestiam, sicut est meum
corpus, nec unquam vidi bestiam adeò ini-
micam sui ipsius, sicut est ipsum; quoniam
nocte & die vadit quærendo suos inimicos
& suos malevolos; & sicut bestia, quæ per
se ipsam vadit ad macellum, ut occidatur,
sic meum corpus vadit quotidie ad loca, in
quibus est sua mors & sua destructio.

9. Pejús custodita bestia, quam unquam
viderim, *Domine*, video, quòd sit meum
corpus;

corpus; quia ipsum est totaliter dissolutum & derelictum, & non vadit nisi per loca, in quibus sunt sui inimici, & in quibus non sunt sui benevoli; & propterea meum corpus tanquam bestia sine omni custodia vadit quotidie ad ignem perdurabilem.

10. d. *O Domine DEVS, in quo est omnis Altitudo & omnis Humilitas & omnis Misericordia!* Maledicti sunt illi pastores, qui dormiunt & requiescunt, dum lupi & feræ bestiae occidunt & destruunt gregem ipsorum, & ipsi hoc non curant; & miseri sunt illi pastores, qui habent suas cogitationes occupatas in vanitatibus, dum suus grex dispergitur & perditur; & illi sunt mali pastores, qui suas oves collocant in ovili, in quod lupi possint intrare & occidere ipsas.

11. Multos pastores video, *Domine*, induere pelles & comedere carnes gregis sibi commissi, & multos malos pastores video ligare suas bestias, & postea eas ducere ad mactandum; & multos malos pastores video pinguefacere suum gregem, & postea
illum

illum comedere; & multos malos pastores video deturpare & deformare oves eis commissas.

12. *O Domine!* Multos malos pastores videmus, qui quando pluit & ningit, & est aspera & rigida aura, manent sub tecto, & quiescunt in suo lecto calidi, & relinquunt gregem extra ad pluviam & nivem & frigus; & multos malos pastores videmus satiatis & repletos, & suum gregem mori præ fame & siti; & multos malos pastores videmus ducere suum gregem per loca periculosa, & nolle eum ducere per loca secura; & multos malos pastores videmus perdere suum gregem & gregem sibi commissum, & quando petitur ab eis ratio, eam dare nesciunt.

13. e. *Tibi, Domine DEVS*, fiat laus & honoratio & honor & reverentia omni tempore; quia, si pastores vendunt suas bestias pro denariis, Tu voluisti emere tuum populum cum effusione sanguinis & lacrymarum & angustiōsa morte.

14. Si pastores portant in sua manu
ba-

baculum obliquum, ut cum eo pecora capi-
ant, Tu, *Domine*, portasti super humeros
Crucem, in qua fuisti crucifixus, ut tuus
populus salvaretur.

15. *O JESU Christe Domine!* Si pasto-
res pinguefaciunt suum gregem, ut ex eo
habeant multos denarios, Tu extenuasti tu-
um pretiosum corpus, ut nos ditaremur in
tua perdurabili gloria, in qua non sentitur
dolor nec poena nec defectus gloriae.

16. f. *O Domine DEVS, qui es Sapien-
tia super omnes sapientias, & habes cognitio-
nem super omnes cognitiones, & es honoratus
super omnes honorationes!* Beati sunt omnes
illi pastores, qui portant habitum veri pas-
toris, & qui faciunt opera, quæ suus habi-
tus significat, & quæ pertinent ad pasto-
rem.

17. *O Domine!* Quàm magna gloria est
præparata pastoribus, qui eunt post suum
gregem, & eum ducunt per bona pascua &
per bonas aquas & per vias securas! & illi
pastores, qui moriuntur ad salvandum &
custodiendum suum gregem, sunt beati su-

per

per omnes beatitudines & sunt benedicti super omnes benedictiones.

18. Pastores habentes suas oves infirmas, si sciant eas sanare, *Domine*, ab infirmitatibus, sunt boni pastores; & pastores cognoscentes naturam & proprietates sui gregis sunt veri pastores; sed illi sunt benedicti pastores, qui suum gregem indomitum & fugitivum sciunt domare & custodire à malis bestiis.

19. g. *Domine juste, Domine misericors, Domine plene omnibus bonis*: Maledictus est grex, qui non vult obedire suo pastori, & maledictus est grex, qui occidit suum Dominum & suum bonum pastorem: igitur maledicti sunt illi, qui Te torserunt & occiderunt, quin haberes ullam culpam.

20. Si grex, qui fugit à suo pastore, *Domine*, & vadit ad lupos & fures & ad malas bestias, est perversus, multò perversiores sunt homines, qui fugiunt ab audiendo benedicta verba, quæ sancti homines prædicant, quia per hoc accedunt ad malignum dæmonem, qui est suus mortalis inimicus.

micus.

21. Illi pastores, *Domine*, qui ducunt suum gregem per loca, in quibus non sunt pascua nec aquæ, sunt inimici ipsius gregis, & sunt similes hominibus, qui per opera vitiosa putant invenire virtutes, & putant se esse bonos faciendo mala opera.

22. h. *O Domine vere DEVS, qui es spes & solatium omnium nostrum, qui in Te confidimus & solamur!* Nos videmus, quòd pastores signent suum gregem, ut per signum eum cognoscant, & Tu tanquam humilis & pius pastor voluisti Te ipsum signare in sancta Cruce pretiosa, ut totus tuus populus Te cognosceret in Cruce, quotiescunque Te perdidisset; sed quomodo potest esse, quòd pastores cognoscant suum gregem per signum, quod in eo faciunt, & vix sit ullus nostrum, qui cognoscat Te per signum, quod in Te ipso fecisti?

23. Pastores signant suas bestias in uno loco tantum scilicet in capite vel in alio loco, & per illud signum eas cognoscunt inter omnes alias bestias: igitur, cum Tu,
Domine,

Domine, in Cruce per totum tuum Corpus fueris signatus multis signis rubeis, quomodo nostra cœcitas potest esse adeò magna, quòd non cognoscamus Te?

24. Intentio, quare pastores signant suas bestias, est, ut, si aliquam perdant, habeant signum, per quod eam possint invenire: igitur benedictus sis, *Domine*, qui sustinuisti in sancta Cruce signari quinque vulneribus mortalibus, ut per illa signa Te inveniremus, quotiescunque Te perdidissemus; sed quid valet, si Te signasti nobis rubeis signis, & per ipsa non cognoscimus Te?

25. i. *O Domine DEVS, qui ita amorosè Te communicas tuis amatoribus, quòd ipsorum cor suspiret & desideret & amet Te, & oculi plorent & decurrant lacrymis! Cùm tot greges sint dispersi per mundum sinè pastore & sinè omni custodia, si Tibi placeret feligere ex Christianis veros pastores & devotos & inamoratos de Te, qui irent ad ducendum infideles in viam veritatis, magnam faceres gratiam, & maximè cùm inter*
Chris-

Christianos sint tot boni homines, qui sufficerent ad custodiendum populum Christianorum & populos infidelium.

26. *O Domine!* Quot oves video sine ullo bono pastore, quæ indigerent pastoribus? & quot oves video mori præ fame & siti, quia non habent pastorem, qui eis monstret pascua & aquas, quibus possent vivere in gloria? & quot bonos pastores video destinatos ad custodiendum paucas oves, quæ à paucioribus pastoribus possent custodiri, salvari & administrari?

27. Pastores video, *Domine*, sibilare & facere minas suis ovibus, & eis projicere lapides, quando eas volunt mutare de uno loco in alium; sed multas malas oves video non pavere sibilos nec minas nec pœnas nec tormenta, quæ Tu eis facis per pastores, quos posuisti super ipsas.

28. K. Omnis gloria & laus & reverentia & honor fiant Tibi, *Domine DEVS*, & omni, quod à Te est; quia nunquam vidi pastorem, qui adeò bene sciret custodire suum gregem, sicut Tu; nec unquam vidi,

qui

qui ita custodiret suum gregem, sicut Tu; quia omnes alii pastores volunt habere mercedem ad custodiendum suum gregem; sed Tu vis tuum custodire absque ulla mercede, & alii pastores non habent potestatem custodiendi gregem in omni tempore anni, nec in omnibus horis dierum & noctium; sed Tu semper potes & vis custodire tuum populum.

29. Nunquam vidi, *Domine*, adeò bonum pastorem, sicut es Tu; quia adeò es bonus & sapiens & dulcis & humilis & simplex & suavis, quòd omnium rerum, quæ sunt creatæ & factæ, Te feceris pastorem & custodem, quia omnibus creaturis salvas & custodis suam naturam & suas proprietates & suum *esse*; quoniam omnes perirent & reverterentur ad *non esse*, nisi Tu eas sustineres.

30. Quoniam Tu, *Domine*, es adeò bonus pastor & adeò gloriosus & sapiens, & qui ita bene custodis omnes res, tuus servus filius tuæ ancillæ & tui subditi se dat & committit Tibi, ut sis suus pastor & suus custos,

custos, & eum defendas à potestate diabolici, & ponas in negotiis, quæ sint ad gloriam & laudem & placitum sui pastoris & sui Domini & sui DEI.

CAPUT CXX.

QVOMODO HOMO VIDEAT ID,
quod faciunt Pictores.

1. **D***ivine Domine, aterne, gloriose, qui*
a. **D***es sine omni principio & fine! Nos*
videmus pictores facere figuras & imagines hominum & bestiarum & avium & piscium & arborum; sed adeò non pingunt nec ornant illas picturas, quòd habeant motum & naturam & proprietates animalium & vegetabilium, quibus assimulantur in figura & forma.

2. Pictores, *Domine*, faciunt sculpturas & picturas similes in forma & figura corporibus firmamenti; sed nulla earum est similis in proprietate nec in natura soli nec lune nec stellis nec firmamento, licet sint

si-

similes eis in figura.

3. Sicut imago hominis picta in pariete vel sculpta in lapide, *Domine*, habet similitudinem hominis, sed non habet opera similia operibus ipsius; ita video multos homines habere similitudinem & figuram & imaginem hominis, sed non opera similia operibus hominis, imò habere opera similia operibus bestiarum, & hoc est magna vilitas ipsorum, quòd assimilentur homini in figura & forma, & in operibus assimilentur bestiis.

4. b. *Domine laudate, Domine amate, Domine memorate in nostris tribulationibus!* Pictores videmus pingere & ornare cruces auro & argento & rubeis coloribus & lapidibus pretiosis, sed nullum pictorem video, qui pingat & ornet crucem, sicut Tu eam pinxisti & ornasti; quia nullum video pingere & ornare crucem suam carne & sanguine & lacrymis, sicut Tu eam pinxisti & ornasti in tua sancta Passione.

5. Si pictores pingunt altaria coloribus & ditibus pannis & pretiosis lapidibus, Tu,
Domine,

Domine, pinxisti tuum benedictum Corpus sanguine & vulneribus & nuditate & gravibus tormentis, quæ voluisti sustinere pro amore nostri.

6. *O Domine DEVS amorose!* Si pictores in calicibus argenteis & aureis faciunt formas & figuras, Tu pinxisti in Cruce tuum calicem felle & aceto & absynthio & angustiosâ morte: igitur benedictus sis Tu & benedicti sint omnes pictores, qui suum corpus pingunt illis picturis, quibus Tu pinxisti tuum calicem.

7. c. Laudata & benedicta sit, *Domine DEVS*, tua honorata Magnitudo & tua dulcis Misericordia; quia multos pictores videmus pingere suos lectos pulchris coloribus & nobilibus operimentis & linteis & pulvinaribus; sed tuus lectus in Cruce fuit pictus sanguine & nuditate; quia, sicut homo nudus jacens in terra, sic jacuisti in Cruce sinè omni linteo & sinè omni medio, quod fuerit inter Crucem & tuum sanctum Corpus gloriosum.

8. Multi sunt pictores, *Domine*, quos

videmus pingere mensas, in quibus comedunt, pulchris mappis & multis victualibus saporum ciborum & nobilibus vinis & scyphis & scutellis & aliis vasis argenteis; sed nunquam vidi ullum dicentem, quòd Tu pingeres tuam mensam talibus picturis.

9. Pictores videmus, *Domine*, pingere Principibus & hominibus divitibus palatia & cameras & porticus & domos auro & argento & diversis coloribus; sed tuum palatium & camera, quam habuisti in hoc mundo, non habuit aliam picturam nisi solis & venti & pluviae, quia non habuisti locum, in quo habitares nisi extra palatia & cameras in spatio, quod est inter coelum & terram.

10. d. *Misericors Domine, in quo est omnis pietas & omnis dulcedo & omnis benedictio!* Pictores pingunt Regibus coronas auro & argento & margaritis & lapidibus pretiosis; sed tua corona fuit picta spinis, quae totum tuum Caput penetrarunt, & fuit picta tuo sanguine; & si Reges & homines divites faciunt pingi pileos diversis coloribus, pileus,

pileus, quem Tu portasti, fuit pictus sole & pluvia & nive & frigore; quia in tuo Capite non habebas nisi solos capillos expositos omnibus inclementiis temporis.

11. Pictores video pingere bursas & cinctoria & calceos; sed Tu, *Domine*, non portasti bursam, quia non habebas denarios, quos in ea poneres, nec portasti cinctorium, quia non habebas bursam nec gladium, quem in eo appenderes, nec tui calcei fuerunt picti, nisi sanguine, quia clavi, qui penetrarunt tuas carnes, pinxerunt tuos pedes nudos.

12. *O Domine*: Multos pictores videmus, qui pingunt pannos, de quibus fiunt vestes, & eos pingunt & tingunt coloribus rubeis, croceis, viridibus, ceruleis, nigris, violaceis & multis aliis; sed vestis, quam Tu induisti in Cruce, non fuit tineta nisi colore rubeo; quia sanguis, qui de tuo Corpore exiit, pinxit superficiem tui Corporis, quæ fuit totum tuum vestimentum.

13. *O Rex Regum nominate ab omnibus populis, gratiose super omnes gratias!* Nos

videmus malas foeminas & viros vanigloriosos pingere suas facies & suos capillos & suas vestes, ut possint se vendere in templo ad operationes peccati; sed Tu, *Domine*, voluisti pingere tuum Corpus sanguine, ut nos emereres; & si foeminae pingunt suos oculos coloribus, Tu pinxisti tuos ploratus & lacrymis.

14. Si mulieres, *Domine*, pingunt suum caput pannis diversorum colorum; benedictus sis Tu, qui pertulisti, quod tuum Caput tingeretur & pingeretur tuo pretioso Sanguine; & si mulieres pingunt suam faciem albo & rubeo colore, benedictus sis Tu, qui voluisti, quod tua facies pingere-tur sudore & lacrymis & sanguine & colore croceo; & si mulieres & viri pingunt & ornant suas manus annulis aureis & argenteis & lapidibus pretiosis, benedictus sis Tu, qui habuisti tuas manus ligatas funibus, quando fuisti flagellatus, & habuisti tuas manus tinctas in Cruce rubeo colore, quando clavus erant perforatae.

15. Si mulieres, *Domine*, pingunt sua
labia

labia rubeo colore, tua labia fuerunt tincta felle & absynthio & aceto; & si mulieres pingunt suum latus & pectus serico & auro & argento, tuum latus & tuum pectus fuit in Cruce pictum vulnere, quod pertransiuit per medium tui Cordis.

16. f. *Pie Domine amorose, in quo omnis dulcedo & omnis misericordia sumit perfectionem & benedictionem!* Quid profunt foeminae colores & picturae, quas applicant suae faciei & suis capillis, cum infirmitas & senectus destruant & debilitent, quidquid ipsae pingunt? quia ipsae non tantum dealbabunt suam faciem, quod infirmitas & senectus eam pallore & macie & rugis non deforment; nec tantum suos capillos flavos & nigros facient, quod infirmitas & senectus non eos dealbent & canos efficiant.

17. Non est ullus pictor, *Domine*, qui ita bene sciat pingere coloribus, & pulchrificare figuras, sicut infirmitas & senectus & mors sciunt eas deformare & foedare: igitur, quoniam omnes debemus venire in potestatem infirmitatis vel senectutis & mortis,

O

quid

quid prodest pingere & pulchrificare res, quas infirmitas & senectus & mors deformant & foedant?

18. Non est ulla pulchritudo neque ulla facies, *Domine*, quantumcunque alba & rubea in viro vel muliere, quam infirmitas & senectus & mors non deturpent, & non faciant eam putrefieri & à vermibus rodi, nec est ullus pannus ex lana vel serico vel auro & argento quantumcunque bene pictus & coloratus, quem senectus non deformet & putrefaciat & rumpat.

19. g. *Cælestis Pater omnium temporum, in quo stant omnes bonæ considerationes & omnes bonæ cogitationes & omnes boni amores!* Multos homines video, *Domine*, pictores verborum & exemplorum, qui faciunt pulchros prologos & pulchros sermones & pulchras comparationes, & sub multis pulchris verbis video multas falsitates & falsas intentiones & deceptiones; quia non adeò piungunt verba, quæ falsò dicunt, quòd falsitas & deceptio non destruant & deturpent pulchritudinem ipsorum.

20. Multos homines videmus, *Domine*, esse valde sollicitos de pulchritudine librorum pictorum & de pulchritudine literarum, & parum curantes de eo, quod est significatum per literas in libris scriptas; & propterea amant plus libros ornare & pingere, quam addiscere & intelligere.

21. Totum mundum video, *Domine*, plenum pictoribus & picturis, quia quidam pingunt suas facies, alii suas vestes, alii sua verba, alii suas res, alii suos libros, alii sua arma, alii suas merces, & propterea totus mundus est plenus malis pictoribus; &, cum tot sint mali pictores, quomodo potest esse, quod sint adeo pauci, qui sint boni, & qui in sua anima figurent & imaginentur tuam Bonitatem & vilitatem hujus mundi.

22. h. Tuæ excellenti Nobilitati & Bonitati, *Domine DEVS*, fiat reverentia & honor; quia fere omnes homines hujus mundi conantur, quantum possunt, sensibus corporalibus pingere res, quibus delectentur; quoniam oculis pingant pulchros colores & pulchras vestes & pulchras imagines & pul-

chra

212 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
chra viridaria, & auribus pingunt pulchros
cantus & pulchra verba, & naribus bonos
odores moschi & ambrae & florum, & ori-
cibos dulces & sapidos, & corpori delicatos
pannos & molles lectos & alia delectabilia
ad tangendum.

23. Si peccatum & dæmon faciunt ho-
mines esse malos pictores respectu sensuum
corporalium, benedictus sis Tu, *Domine*,
qui facis sanctos homines esse bonos pic-
tores respectu sensuum spiritualium; quia
sancti homines & beati religiosi die & nocte
conantur cogitare in tua Bonitate & in vi-
litate hujus mundi, & in tua Bonitate per-
cipiunt vilitatem hujus mundi, & in vilita-
te hujus mundi percipiunt tuam Bonitatem;
& in suo corde habent conscientiam de suis
defectibus, & in sua anima se subtiliant,
quantum possunt in cognoscendo Te & in
serviando Tibi; & in sua voluntate Te de-
siderant & amant & laudant & benedi-
cunt.

24. Cúm homines, qui pingunt suos
sensus corporales, sint miseri, & qui pingunt
suos

suos sensus spirituales, sint beati, quomodo potest esse, *Domine*, quòd plures sint pictores sensuum corporalium, quàm spiritualium? & quomodo potest esse, quòd in hoc mundo plus amentur & laudentur & appetentur pictores sensualitatum, quàm intellectualitatum?

25. i. *Vere Domine, gloriose, plene dulci Misericordiâ & Pietate!* Pulchrior & nobilior pictura, quam unquam viderim, videtur mihi, quòd sit figura, quam video pendere in Cruce: igitur benedicta sit ipsa, quæ adeò pulchram se ostendit, & benedictus sit pictor, qui eam pinxit; quia per ipsam significatur humano generi, quòd totus mundus sit ordinatus & nobilitatus per significationem, quæ repræsentatur in Cruce.

26. Cùm imago Crucis sit adeò nobilis & bona pictura, quomodo potest esse, *Domine*, quòd pictores pingant & forment & sculpant ullam aliam picturam, nisi ipsam? & quare in operibus, quæ faciunt, faciunt aliam figuram, nisi figuram Crucis?

27. Quæcunque picturæ sunt in hoc mundo,

mundo, *Domine*, exceptâ figurâ Crucis, sunt pulchriores extrâ, quàm intrâ; sed de figura Crucis non est ita, quia pulchrior est intrâ, quàm extrâ; quoniam, si extrâ demonstrat ploratus & lacrymas & sanguinem & angustiosam mortem, intrâ demonstrat amorem & misericordiam & pietatem & gloriam & benedictionem æternam.

28. K. *O Domine DEVS, sapiens super omnes sapientias, in quo est totum nostrum bonum & tota nostra salus & tota nostra beatitudo!* Non video ullam picturam, quæ det adeò utilem significationem, sicut figura Crucis; quia aliæ figuræ non habent potestatem dandi adeò bonam significationem sicut ipsa; quoniam, qui per eam significatur & repræsentatur, meliùs demonstratur perfectus in potestate & sapientia & bonitate, quàm qui repræsentatur per ullam aliam figuram.

29. Valde pœnitet me, *Domine*, fuisse pictorem tot vanarum picturarum, quæ non habebant potestatem complendi id, quod mihi significabant, imò erant omnes vanæ
&

Vo. II. Lib. III. Dist. XXIII. Cap. CXXI. 215
& vacuæ & privatæ omni bono, & mihi reliquerunt multas culpas & vitia & peccata, quamvis disparuerint à meis oculis.

30. Cúm tuus servus & tuus subditus fuerim, *Domine*, adeò malus pictor, peto à Te gratiam, ut in meo corde per imaginationem & contemplationem pingas tuum amorem & tuam passionem & tuos ploratus & tuos languores & tuam gravem mortem; quia, si plantes & ponas in meo corde tales recordationes & tales inamorationes, poterit evenire, quòd meum corpus tingatur sanguine, & mei oculi lacrymis ad dandum laudem & honorationem de suo Domino DEO.

CAPUT CXXI.

*QUOMODO HOMO VIDEAT ID,
quod faciunt Agricola.*

I. **O** DEVS amorose, cui cognoscatur
a. **O**mnis altitudo & magnitudo & honor tanquam libero & benedicto Domino!

Nos

Nos videmus, *Domine*, agricolas colere terras, ut dent fructum; & videmus terras, quò meliùs sunt cultæ, eò meliùs fructificare: igitur, si terra, quæ est res mortua & sinè intellectu & ratione, eò plùs dat fructum, quò meliùs est culta, bene apparet, quòd nostra anima sit datura fructum, si subdat corpus suis virtutibus.

2. *Gloriose Rex gloria!* Sicut agricolæ arant & præparant terram, ut in ea seminent sua semina, ita videmus, *Domine*, quòd seminaveris homines pauperes ad præsentiam divitum, ut divites in eis effundant suas divitias, & ut divitiæ ipsis divitibus adferant fructum centuplum.

3. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia, sicut dedisti agricolis multa & diversa semina, ut possint ea seminare in terra, ita dedisti hominibus divitibus multas & diversas divitias, ut possint eas dare & effundere pauperibus, qui pro tuo amore volunt esse pauperes, & in tuo nomine volunt eas acceptare ab ipsis.

4. b. *Domine sancte potens, in quo est tota
nostra*

nostra salvatio & nostra salus: Agricolas videmus feminare in tempore opportuno, & in tempore opportuno metere frumenta & colligere fructus; sed multi homines faciunt oppositum, quia in operibus, quæ faciunt, non expectant tempus nec opportunitatem; & quamprimum inceperunt, volunt habere fructum; & quando esset tempus opportunum, non sciunt ipsum colligere & recipere.

5. Sicut agricola, *Domine*, esset stultus & nescius, si, postquam seminavit semina, statim vellet habere fructus, & nollet expectare tempus ipsorum; ita video esse multos homines in hoc mundo nescios & stultos; quia, quando inceperunt aliquod factum, statim volunt pervenire ad finem, & nolunt expectare tempus, in quo finis potest venire ad perfectionem; & per istam inordinationem, quæ est in nobis, multa facta perturbantur & destruuntur, quia nimis accelerantur.

6. Agricolas, qui sunt sapientes, videmus, *Domine*, facere differentiam inter tem-

atque

pus

pus & tempus, & inter locum & locum, & inter semen & semen; quia, secundum quod sunt semina, oportet esse loca & tempora; sed homines mundani faciunt oppositum, quia non expectant tempus, nec faciunt differentiam inter locum & locum, nec inter personam & personam; & propterea fere omnia faciunt viliter & malè & falsò.

7. c. Serenitas & Altitudo & Paternitas & Dominium cognoscantur Tibi, *Domine DEVS*, qui nobis das exemplum in operibus, quæ agricolæ faciunt; quia, sicut ipsi colunt frumenta, & ea purgant à malis herbis, ne ab eis suffocentur, & ut possint bene crescere; ita, si nos essemus sapientes, mundarem nostrum cor ab omnibus vitiis & peccatis, ne anima occideretur ab ipsis, & ut virtutes crescerent & multiplicarentur in ea.

8. *Iuste Domine!* Nos videmus, quòd agricolæ post messem frumentorum ea triturarent, & postea ea ventilent, ut per ventum segregetur palea à grano; & videmus, quòd ipsi recondant granum in horreis, &

re-

relinquant paleam extra ; & hoc est nobis significatio & demonstratio , quòd in die mortis, quando hoc sæculum, quod est ventus , diviserit animam à corpore, tunc Tu suscipies animas hominum justorum, & eas introduces in tuam gloriam, & animas peccatorum, quæ non sunt dignæ esse in gloria, relinques extra , ut torqueantur in igne perdurabili.

9. *Liberalis Domine !* Nos videmus, quòd sapientes agricolæ, postquam collegerunt suum triticum , custodiant de ipso in suis granariis quantitatem, quâ indigent toto anno ad comedendum & seminandum; sed multi homines faciunt oppositum in hoc, quòd, postquam collegerunt fructus, quos eis dedisti, statim eos dissipent & consumant ; &, quando veniunt ad tempus, in quo fructus sunt in magno pretio, debent eos procurare & emere.

10. d. *Patiens Domine, amorose, sapiens super omnes sapientias, bone super omnes bonitates !* Nos videmus , quòd agricolæ putent vineas & arbores , ut plûs durent , &
plures

plures fructus faciant; & hoc est nobis exemplum, ut, quando corpus erit nimis robustum & nimis inclinabitur ad peccatum, ipsum mortificemus jejuniis & afflictionibus & orationibus, ut fructificet in virtutibus.

11. Hortulanos & agricolas videmus, *Domine*, adaptare & meliorare terram stercoreibus, quæ sunt res turpis & foetida & imunda; & per hoc significatur, quòd homo sapiens cum hoc mundo, qui est falsus & fallax & plenus foetore & luxuriâ & carne & ofsibus foetidis & corruptis, possit invenire & recipere gloriam cœlestem, quæ est gloria valde gloriosa & valde abundans omnibus bonis.

12. Agricolas videmus, *Domine*, cognoscere, quænam arbores & quænam femina conveniant & concordent cum proprietate & natura terrarum; sed multos malos homines videmus esse in hoc mundo, qui non sciunt cognoscere tuam Bonitatem, nec illas res, quæ Tibi sunt gratæ, & quæ Tibi placent: unde hoc est magna stultitia

&

Vo. II. Lib. III. Dist. XXIII. Cap. CXXI. 221
& ignorantia, quòd homo sciat cognoscere,
quænam terra sit bona vel mala, & non ve-
lit cognoscere tuam Bonitatem.

13. e. *O Domine sapiens super omnes sapien-
tias ! O Domine potens super omnes potestates !*
Nos videmus agricolas , quando multum
indigent pluviâ, semper recurrere ad Te, ut
eam eis des; & quando eis das magnam abun-
dantiam pluvia, semper precari Te, ut eam
cessare facias, & eis des serenitatem. Eti-
am videmus, *Domine*, quòd ipsi, quando Tu
non facis, quod desiderant, semper sint dis-
contenti & irati contra Te.

14. Et hoc mihi videtur, *Domine*, res
valde injuriosa ; quia, sicut agricolæ Tibi
agunt gratias, quando eis das pluviam vel se-
renitatem, quam à Te petunt, ita Tibi debe-
rent agere gratias, quando eam ipsis non das;
quoniam æquè bene es laudandus & bene-
dicendus, quando operaris per justitiam in
nobis, non dando nobis, quod à Te petimus,
sicut quando operaris in nobis per Miseri-
cordiam, dando nobis, quod à Te petimus;
quia æquè bonus es per operationem Justi-
tia,

tia, sicut per operationem Misericordia.

15. Melior & utilior ars, quam videmus, *Domine*, in hoc mundo, est ars agriculturalum, quia omnes homines hujus mundi vivunt ex ipsa, & in nulla arte est adeò pauca deceptio & falsitas sicut in ipsa, nec ulli homines adeò confidunt in Te in sua arte, sicut agricolæ; nec in ulla arte adeò frequenter demonstras tuam magnam Justitiam & tuam magnam Misericordiam & tuam magnam Potestatem, sicut in arte ipsorum.

16. f. *Domine DEVS, qui das placita & suspiria & amores tuis servis, & oculis ipsorum das lacrymas & ploratus!* Nos videmus agricolas arare & fodere & laborare & multa mala pati; & de labore & sufferentia ipsorum videmus Reges & Barones & homines divites habere prosperitates & remedia & delectationes & requies; & quò plures habent delectationes & prosperitates Principes & homines divites, eò plura mala & labores videmus habere agricolas propter magnas injurias, quas recipiunt

Vo. II. Lib. III. Dist. XXIII. Cap. CXXI. 223
piunt ab illis, qui vivunt de laboribus ip-
forum.

17. In toto mundo non videmus, *Domine*, ullam artem nec ullum officium adeò homini necessarium, sicut ars & officium agricularum; quia finè agricolis nullus homo viveret: igitur, cùm agricolæ sint vitæ hominum adeò utiles & necessarii, valde miror, quomodo possit esse, quòd ipsi sint homines plus vilipensi & injuriati & contempti, qui sunt in toto mundo.

18. Omnes homines & omnes aves & omnes bestiaë, *Domine*, faciunt damnum agricolis; quia Reges & equites ab eis rapiunt, & eos cogunt, & ponunt in bello, in quo eos faciunt mori, & perdere quidquid habent, & scindunt & destruunt fruges & vineas & arbores, & comburunt & diruunt domos ipsorum; & fures & homines falsi ab eis furantur, & eos decipiunt; & aves & bestiaë destruunt frumenta & devorant greges ipsorum; & omnibus modis videmus agricolas injuriari & derideri & malè tractari.

19. g. *Domine honorate, Domine amate, Domine volite in omnibus bonis considerationibus & in omnibus bonis desideriis & in omnibus viribus!* Nos videmus, quòd, quando agricolæ non habent bonam collectam, & perduntur fructus terræ, omnia alia officia & opificia minús valeant, & quando ipsi habent abundantiam fructuum, omnia alia officia & opificia plús valeant: igitur, quoniam per agricolas meliorantur vel deteriorantur omnes aliæ artes & officia, quomodo possunt omnes gentes esse ipsis contrariæ & inimicæ? & quare ipsi ab omnibus contemnuntur?

20. *O JESU Christe Domine!* Benedictus sis Tu & omne, quod tuum est; quia, sicut ars agriculturæ est plús vilipensa & contempta, quàm ulla alia, ita tua gravis Passio & tua angustiosa Mors fuit plús vilipensa & ignominiosa, quàm ulla alia; & sicut ars agriculturæ est vitæ temporali utilior omni aliâ arte, ita sancta passio & mors, quam sustinuiti in Cruce, fuit vitæ æternæ utilior omni aliâ passione & morte.

21. Adedò

21. Adeò sunt agricolæ amatores pacis, quæ est magnum bonum, *Domine*, quòd non videam ullos homines in toto mundo, qui tantum desiderent eam, sicut ipsi; & ratio, quare agricolæ desiderant pacem plús, quàm ulli alii homines, est, quia ipsi plures inimicos habent, quàm ulli alii: igitur, quoniam agricolæ desiderant pacem, magnam ingratitude & inurbanitatem habent erga ipsos illi, qui eos ponunt in bello, & non sinunt eos habere pacem.

22. h. Tibi, *Domine*, *DEVS*, cognoscatur gloria & laus & nobilitas omni tempore, qui dedisti agricolas, ut per eos corpus humanum possit habere vitam; & dedisti homines sapientes & religiosos, ut per eos anima hominis possit recipere vitam in gloria mediante ipsorum sapientiâ & prædicatione & bono exemplo.

23. *O Domine sapiens, amorose!* Sicut vita corporalis debilitatur & destruitur per omissionem & negligentiam agricolarum nolentium colere terras & congregare fructus, de quibus homo possit vivere, ita vi-

P

deo

deo vitam animæ debilitari & infirmari per omissionem & negligentiam hominum sapientum & religiosorum nolentium dare bona exempla & prædicare aliis hominibus.

24. Si agricolæ, *Domine*, habent suas considerationes & suum cor in terra, non est mirum; quia cum terra vivunt, & cum ipsa vivificant omnes nos; sed, quòd Prælati & religiosi & alii homines destinati ad prædicandum & corrigendum populos, ut anima vivat, habeant suum cor in terra, ut corpus vivat, hoc est valde mirum; quia, sicut agricolæ habent suum cor ad suum officium, ita beneficiati sanctæ Ecclesiæ & religiosi deberent habere suum cor ad officium, quod eis commendasti.

25. i. *Domine vere DEVS, qui amaris & desideraris in corde hominum justorum & beatorum religiosorum!* Non video ullos homines, qui in tanto labore habeant terram, sicut agricolæ; quia ipsi quotidie pugnant cum ea, & eam vertunt & mutant de uno loco in alium, & non sinunt eam manere in pace & quiete.

26. Si agricolæ haberent patientiam in sua arte, *Domine*, & non essent invidi, essent meliores homines totius mundi; sed ratione magnarum injuriarum, quæ eis fiunt, & ratione magni contemptus, in quem deveniunt apud gentes, sunt fere omnes pleni malevolentia & impatientia; & ratione magnæ paupertatis & indigentia, quam sustinent, sunt fere omnes pleni invidia & cupiditate.

27. *O Domine*! Quàm beati sunt agricolæ, qui habent patientiam, & non habent invidiam nec malevolentiam, sed sunt veraces in omnibus suis operibus; quia, sicut ipsi habent majores occasiones impatientia & invidia, quàm alii homines, ita habent majus meritum, si possunt habere abstinentiam & patientiam, & fugere ab invidia.

28. *K. Benigne Domine, in quo est omnis Bonitas & Sanctitas & Virtus & Perfectio!* Melior agricola, quem unquam viderim, es Tu, qui tuo glorioso Corpore & tuo pretioso Sanguine restaurasti corpus & animam omnium illorum, qui amant tuam
Passionem.

Passionem.

29. Nam agricolæ, *Domine*, purgant à malis herbis campos & vineas & hortos fo- diendo & arando & evellendo; sed Tu pur- gasti nos effusione tui Sanguinis & vulne- ratione tuæ Carnis & ploratibus & lacry- mis & gravibus doloribus & angustiosâ morte.

30. Cúm Tu, *Domine DEVS*, sis adeò beatus & pius agricola, & tuus servus & subditus fit totus immundus & totus ple- nus malis herbis, placeat Tibi, qui in hoc mundo effudisti pretiosum sanguinem & amorosas lacrymas, ipsum mundare à suis peccatis & à suis gravibus culpis, ut det gloriam & laudem de suo Domino DEO.

CAPUT CXXII.

*QUOMODO HOMO VIDEAT ID,
quod faciunt Artifices.*

1. **D**EVUS gloriose, amorose, á quo veni-
unt & descendunt omnes gratia & bene-

benedictiones ! In artibus & officiis artificum possumus videre & percipere cum sensualitatibus intellectualitates; quia, sicut ferrarius ponit ferrum in igne, ut possit ipsum melius emollire & cudere & de ipso operari; ita homo habens cor durum & crudele & frigidum in tuo amore, si vult ipsum calefacere & inamorare de Te, & vult suos oculos flere & impleri lacrymis, aspiciat in Crucem, & memoret tuam Passionem & tuos graves dolores; quia tali aspectu & tali memoriâ poterit suum cor calefacere amore, & suos oculos madefacere lacrymis.

2. Fabros lignarios videmus, *Domine*, dolare & complanare cruces, quas faciunt; & per hoc possumus memorare sanctam Crucem, in qua suscepisti passionem; quia ipsa non habuit, qui eam complanaret & dolaret, imò fuit aspera & dura in hoc, quòd trunci & segmenta & cortex penetrabant tuam carnem ratione compressionis, in qua eras in ipsa per confixionem clavorum.

3. Constructores domorum videmus, *Domine*,

Domine, facere pulchras turre & pulchra palatia & castella & cameras; sed paucos homines videmus, qui faciant in suo corde cameram & palatium, in quibus habitent cogitationes & recordationes & amores & devotiones & suspiria ad amandum & honorandum & laudandum Te, & ad plorandum graves dolores, quos sustinuisi pro nobis peccatoribus.

4. b. *O Domine DEVS*, qui custodis & defendis tuos benevolos a manibus suorum mortalium inimicorum! Nos videmus falsos argentarios & falsos monetarios facere mixtionem ex argento & auro, & intermiscere cuprum vel aliud metallum, & ei dare colorem & formam auri & argenti, ut possint decipere gentes: unde benedictus sis Tu, qui in tua Passione non fecisti falsitatem nec fraudem; quia tua Humanitas monstravit se ita verè in *esse* humano, sicut est verum, quòd Tu sis Homo; & tua Deitas ita verè monstravit se in miraculis, quæ fecisti, sicut est verum, quòd Tu sis DEUS.

5. Scriptores videmus scribere in pelle
mor-

Vo. II. Li. III. Dist. XXIII. Cap. CXXII. 231
mortua, & eos videmus scribere atramento nigro, & videmus eos facere literas emptio- num & venditionum; sed Tu, *Domine*, scrip- sisti nostram salvationem & nostram re- demptionem in tua cute viva, & eam scrip- sisti atramento rubeo & dulcibus lacrymis, quæ decurrebant de tuis piis oculis plenis misericordiâ.

6. Nos videmus, quòd futores exten- dant & ungant corium, ut emolliatur, & postea illud scindant & confuant; & ego oculis mentis video, *Domine*, quòd tua cutis fuerit extensa in Cruce, & fuerit uncta san- guine & aquâ, & fuerit rupta & lacerata, quin fuerit, qui ligaret & confueret & sa- naret tua vulnera.

7. c. *O Domine, qui gloriam paradisi de- nuntias per opera misericordiae, & pœnas in- fernales per opera justitiæ!* Nos videmus far- tores facere de panno vestes & pallia & alia indumenta, sed Tu non invenisti fartorem, qui Tibi vestem faceret: adeò fuisti pauper & indigens.

8. *Pelliones videmus, Domine, habere*
offi-

officium uniendi & consuendi pelles; sed in tempore tuæ angustiosæ Passionis non invenisti pellionem, qui tua vulnera fueret & uniret, imò invenisti homines, qui flagellis & clavis & lanceâ & spinis disrumperent & lacerarent tuas pulpas & tuas carnes & tuam cutem.

9. *Patiens Domine!* Textores videmus habere officium conjungendi & intermiscendi fila adinvicem, ut ex eis faciant pannos; sed malitiosi homines, qui tuum Corpus torserunt, omnes tuas juncturas disjuxerunt, & tua ossa nudaverunt, & intrâ tuas pulpas posuerunt clavos & spinas, ut tuum Corpus disjungeretur & destrueretur.

10. d. Deitas & unitas & simplicitas & sanctitas & omnis benedictio cognoscantur Tibi, *Domine DEVS*; quia barbitonsor, quando vult homini adaptare barbam & capillos, madefacit barbam, ut meliùs radatur, & pectit capillos, ut possit eos æqualiter scindere: unde benedictus sis, *Domine DEVS*, qui voluisti, quòd tua barba madefieret ploratibus & lacrymis & sanguine
&

& felle & absynthio & aceto, & tui capilli intricarentur spinis, & sanguine tingerentur, quia omnibus istis rebus indigebant nostræ graves culpæ.

11. Laniones videmus esse unctos sanguine bestiarum, quas occidunt & excoriant & mantractant: unde benedictus sis, *Domine DEVS*, qui tuomet sanguine fuisti tinctus & rubefactus, quando in Cruce occidisti & delevisti peccatum originale, ut omnes dirigeremur ad viam perdurabilis vitæ.

12. *Gloriose Domine!* Nos videmus, quòd venatores insidientur avibus & bestiis cum retibus & laqueis, ut eas possint decipere & capere: unde benedictus sis Tu, qui cum ferro & ligno & ploratibus & doloribus & morte recuperasti naturam humanam, quæ discesserat à Te per peccatum & culpam.

13. e. *O Domine liber, humilis, amabilis, dulcis, simplex & suavis, in quo perficiuntur omnes perfectiones!* Nos videmus, quòd infitiores vendant in suis tabernis diversas res,

&

& ex eis destinant varias quantitates maiores & minores volentibus eas emere; unde benedictus sis Tu, qui in Cruce, quæ est tua taberna, demonstras multas res ad emendum scilicet amorem & devotionem & pietatem & misericordiam & justitiam & ploratus & dolores & angustias & ignominias & paupertates & mortem, ex quibus quilibet secundum devotionem & contemplationem, quam habet, potest recipere gratiam & benedictionem.

14. Molitorem videmus, *Domine*, molere duabus molis, ut frumentum melius & citius conteratur: unde benedictus sis Tu, quia totum tuum pretiosum Corpus fuit attritum doloribus & poenis & amarâ morte propter magnum amorem, qui fuit in tua Deitate & in tua Humanitate, quando mortuus es in sancta Cruce; nam Deitas amabat & volebat, quòd Corpus moreretur, & haberet passiones & dolores; & Humanitas amabat & volebat, quòd compleretur id, quod Deitas amabat, volebat, mandabat & ordinabat.

15. *Vere Domine!* Nos videmus vitriarium facere vitrum ex lapide & herba per magnam vim caloris, & ex vitro facere ampullas & calices & scyphos & alia vasa, quæ sunt magis solida & unita, quàm ulla alia vasa: unde benedictus sis Tu, quia per magnam vim tui amoris fecisti majorem conjunctionem & unionem ex tua Deitate & Humanitate, quàm sit conjunctio & unio omnium creaturarum; & hoc est, quia major est amor, qui est inter tuam Deitatem & Humanitatem, quàm sit omnis amor, qui est in omnibus creaturis.

16. f. *O Domine DEVS, qui exaudis omnes illos, qui ad Te clamant, & in Te confidunt!* Nos videmus, quòd figuli faciant de terra quascunque formas velint, quin inveniunt in terra ullam resistantiam: unde benedictus sis Tu, qui in tua Passione Te permisisti duci & tractari ab occisoribus & tortoribus, quocunque modo ipsi Te voluerunt illudere & torquere & occidere.

17. *Patiens Domine!* Nos videmus, quòd pistores, quando vident panem in
furno

furno incipere comburi, subito ipsum extrahant, ne comburatur & perdatur; sed ex illis, qui ante Te stabant in die tuæ Passionis, & videbant tuum Corpus mori, & tuum Sanguinem effundi, nullus voluit Tibi succurrere nec Te juvare, imò Te permiserunt manere in Cruce, quousque totus tuus Sanguis fuit effusus, & tua benedicta Anima fuit separata à Corpore.

18. *O Humilis Domine, plene gratiâ!* Nos videmus, quòd hortulani, quando arbores & herbæ indigent rigatione, statim eas rigent modo, quo oportet eas rigare: unde benedictus sis Tu, qui tuas dulces lacrymas & tuum pretiosum sanguinem effudisti, ut nos peccatores mundaremur & sanaremur à gravi peccato, quo eramus omnes inquinati & corrupti.

19. g. *Humilis Domine, in quo consistunt omnes fortitudines & omnes honorationes & omnes gloria!* Nos videmus, quòd, quando caupones volunt vendere suum vinum, faciant voce præconis proclamari, ubi vendatur & quanti vendatur, ut hominibus innotescat:

notescat : unde benedictus sis Tu, qui etiam voluisti, quòd denuntiaretur tua Incarnatio & tua Passio, & misisti Prophetas, qui denuntiarent, quis esset ille, qui venturus erat, & in quo loco deberet nasci, & quâ morte deberet mori.

20. Nos videmus, *Domine*, quòd satrapæ & prætores, quos Reges & Principes constituunt, compleant quidquid suus Dominus eis mandat : unde tua sancta Humanitas similiter complevit & perfecit, quidquid ei mandavit tua Deitas ; quia omnes poenas & languores & graves dolores, quos Tua Deitas voluit, sustinuit & portavit in die suæ gravis Mortis.

21. *Misericors Domine !* Nos videmus apparitores vivere ex hoc, quòd inquirent & capiant & flagellent & suspendant malefactores : unde hoc est exemplum nostræ animæ, quòd debeat sumere vitam ex hoc, quòd cogitet & inquirent & memoret tuos languores & tuos dolores & tuam gravem Passionem.

22. h. *O Domine DEVS, qui latificas &*

15010701

con-

238 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
*consolaris & in amoras de Te omnes illos, quos
vis! Nos videmus, quòd cursores portent
litteras & denuntiationes de una terra in
aliam: unde cruces, quas videmus in tem-
plis, sunt nuntii, qui demonstrant ignomi-
nias & ludibria & dolores & gravem mor-
tem, quam sustinuisti pro nobis peccatori-
bus.*

23. *Vere Domine! Nos videmus ire
præcones per vicos & plateas proclamando
res, quas homo vult vendere: unde Tu, Do-
mine, per tuam Pietatem voluisti clamare
in Cruce, ut nos emeremus cœleste regnum,
& voluisti precari Patrem, ut nobis esset
pius & misericors.*

24. *Campsores videmus, Domine, com-
mutare argentum pro auro, & denarios pro
argento: unde benedictus sis Tu, qui volu-
isti commutare hunc mundum pro alio per
hoc, quòd divitiis & prosperitatibus hujus
mundi volueris renuntiare & sustinere pau-
pertatem & tormenta & angustiosos labo-
res.*

25. i. *O JESU Christe Domine plene mi-
sericordiâ*

*fericordiâ & gratiâ, in quo confidit & sperat
mea anima!* Nos videmus, quòd agasones
& muliones onerent suas bestias victualibus
& mercibus & rebus necessariis: unde bene-
dictus sis Tu, qui nos onerasti valde magno
onere, quia omnibus dilectionibus & lan-
guoribus & doloribus & gravi morte, quam
pro nobis pertulisti & sustinuisti, nos one-
rasti: igitur quodnam onus est adeò mag-
num, sicut illud, quod posuisti super nos?

26. *Lusor in principio, quando inci-
pit ludere, incipit lætus & gaudens, & post-
quam venit ad finem, & perdidit quidquid
habebat, abit tristis & dolens & impatiens
& plenus malevolentia; sed Tu, Domine,
in principio tuæ Passionis fuisti tristis & plo-
rosus & angustiatus, & usque ad mortem
fuisti in labore & angustia; sed post mor-
tem ivisti lætus & gaudens ad possidendum
tuam gloriosam Gloriam.*

27. *Nos videmus, Domine, quòd sagit-
tarius multò meliùs dirigat sagittam in al-
tum, quàm in loca inferiora; & similiter
quando nos elevamus nostros oculos ad
Crucem*

Crucem & versús cœlum, & nostra anima contemplatur in tua Passione & in tua Bonitate, multò meliús contemplamur, quàm quando respicimus inferiús in hunc mundum pauperem & inopem omnibus bonis.

28. K. *Domine vere DEVS, qui es Lumen & Splendor omnium luminum & omnium splendorum!* Sicut ex officio proxenetarum sequitur magna utilitas illis, qui vendunt & emunt; ita cogitando possumus videre, quòd tua humana Natura habeat excellentius officium, quod esse possit in creatura; quia ipsa est mediatrix inter tuam Deitatem & tuum populum, & facit descendere gratiam & benedictionem ab ipsa Deitate ad ipsum populum.

29. Constructores navium videmus, *Domine*, interponere stuppam in juncturis ipsarum, ne aqua possit intrare per eas: unde benedictus sis Tu, qui voluisti tuum gloriosum Corpus aperiri, ut totus tuus Sanguis exiret; & voluisti tuos oculos plorare, ut effunderent totam tuam aquam; & voluisti sudare, ut tota tua humiditas à tuo
Corpore

Corpore exiret.

30. *Patiens Domine ! Nos videmus, quòd bajuli portent onera super collum & humeros ; sed Tu voluisti in toto corpore & in omnibus tuis membris portare nostra peccata & nostros languores ; quoniam in toto ipso sustinuisti tormenta & dolores : igitur benedictus sis Tu, qui ita patienter voluisti portare omnes nostras infirmitates, ut nos possemus gloriari in tua gloria, Domine DEVS.*

CAPUT CXXIII.

*QVOMODO HOMO VIDEAT IN
Cruce Exemplar nostri Domini DEI JESV
Christi.*

I. **O** *Domine JESV Christe, in quo est
a. omnis virtus & omnis gloria & omnis nobilitas ! Benedictus sis Tu, qui in figura Crucis reliquisti nobis tuum exemplar & tuum Signum, ut videamus amaritudines & languores & dolores & gravem passionem,*

sionem, quam sustinuiſti pro nobis peccatoribus.

2. Unde benedictæ ſint, *Domine*, omnes Cruces, quia in omnibus ſignificatur & repræſentatur id, quod ſuſtinuiſti & pertuliſti ad redimendum humanum genus; ſed ratione noſtri peccati pauci ſumus, qui ſciamus in Cruce percipere & cognoſcere paupertatem & ignominias & inhonorationes & pœnas, quas ſuſtinuiſti in hoc mundo pro amore noſtri peccatorum.

3. Qui bene reſpicit, *Domine*, in Crucem oculis corporalibus & ſpiritualibus, & contemplatur id, quod Crux ſignificat, poteſt in ea videre tuam magnam Miſericordiam & tuam magnam Humilitatem & tuam magnam Pietatem & magnum amorem, quem habes ad tuum populum; quia Crux eſt ſpeculum, in quo memorando & cogitando poſſunt videri omnes tuæ Virtutes & Nobilitates.

4. b. *O Domine ſapiens! O Domine alte!*
O Domine vere, juſte, amoroſe! Sanctos homines hujus mundi videmus legere & contemplari

templari exemplum tuæ Passionis; quia religiosi, & qui faciunt pœnitentiam; sequuntur tuum exemplum in hoc, quòd contemnant vanitatem mundanam & ament ploratus & dilectiones & suspiria & devotiones & contritiones & mortificationem suæ Carnis.

5. Beati religiosi veri amatores Tui, *Domine*, taliter incorporant & formant in sua anima exemplum tuæ Passionis, quòd nec ventus nec ruina nec tempestas possint ipsum separare nec delere ab ea; & sicut vestigium, quod est in arena, citò deletur & disparet per ventum vel per aquam, ita exemplum tuæ Passionis, quod est in mente & memoria hominum peccatorum, per levem occasionem deletur & disparet ab anima ipsorum.

6. Peccatores relinquunt in mundo exemplum contrarium illi, quod Tu, *Domine*, nobis reliquisti in Cruce; quia, sicut tua Crux demonstrat nostris oculis, quòd habueris in hoc mundo paupertatem & ignominias & pœnas & inhonorationes, ita campi
&

& vineæ & turre & palatia & divitiæ, quas ipsi relinquunt post mortem, demonstrant signum honorationis & delectationum & prosperitatum, quas habuerunt in hoc mundo.

7. c. *O Domine DEVS*, qui es Dominus Dominorum & Princeps Principum & Pater Patrum: Tuum benedictum exemplum, quod nobis reliquisti in Cruce, conqueritur, quia non sequimur nec honoramus ipsum tantum per opera, quantum per verba; & non est mirum, quoniam magna est injuria, quam ei facimus in hoc, quòd non demus ei illam honorationem, quam deberemus.

8. Sancta imago sanctæ Crucis, *Domine*, conqueritur de hominibus hypocritis, quia simulant paupertatem & afflictionem & poenam, quæ in ea significatur; & conqueritur, quia ipsi eam in se fingunt, ut videantur à gentibus in similitudinem bonorum hominum, & nolunt ipsam imitari faciendo vera esse opera.

9. Sanctam Crucem, quæ est signum tuæ Passionis, videmus, *Domine*, honorari auro

auro & argento & lapidibus pretiosis & picturis & serico & diversis coloribus; sed parúm videmus ipsam honorari amoribus & fletibus & contritionibus & devotionibus & cogitationibus & recordationibus: unde, cùm sancta Crux plús honoretur recordatione & amore & planctu & devotione, quàm auro & argento & lapidibus pretiosis, rationabile esset, quòd illis rebus, quibus plús honoratur, homo eam plús honoraret, quàm illis, quibus minús honoratur, quia majorem honorationem recipit crux lignea, coram qua peccator ploret, quàm crux aurea, coram qua peccator stat memorando vanitates hujus mundi.

10. d. *O Domine DEVS, qui pacificas & concordas homines confidentes in tuo adiutorio! Tu reliquisti exemplum tuæ Passionis in crucibus dispersis per mundum, ut, quando videamus oculis corporalibus tuam Imaginem, videamus oculis animæ tuam Passionem; sed nos facimus oppositum, quia oculis corporalibus respicimus cruces, & oculis animæ respicimus vanitates hujus mundi.*

mundi.

11. Unde beati sunt, *Domine*, qui, quando intrant in templum, & sunt ante altare, & vident imaginem tuæ sanctæ Humanitatis, flectunt genua, & adorant Crucem & osculantur terram, & aperiunt oculos animæ ad cogitandum & memorandum & amandum tuam sanctam Humanitatem repræsentatam in Cruce, quæ stat super altare.

12. Exemplum, quod est in Cruce, *Domine*, est formatum & figuratum ex nuditate & vulneribus & tormentis & fletibus & multis doloribus; & hanc figurationem voluisti esse in eo, ut, quando ipsam videremus, nostrum cor impleretur amore & nostri oculi lacrymis; sed mihi videtur, quòd quotidie videamus tuum exemplum ante nostros oculos, & cor non moveatur ad devotionem nec oculi ad lacrymas.

13. e. *Gloriose Rex Gloria!* Qui vult invenire & videre tuum exemplum, caveat, *Domine*, ne se associet & soletur cum hominibus superbis vanigloriosis amatoribus vanitatum

Vo. II. Li. III. Dist. XXIII. Cap. CXXIII. 247
nitatum hujus mundi; quia in talibus hominibus non videtur exemplum tuarum viarum: igitur, qui tuum exemplum vult invenire & videre, eat ad inimicos vanitatum hujus mundi, quia in eis sunt signa, per quæ videntur viæ, quas Tu habuisti in hoc mundo.

14. Exemplum tuæ Passionis videmus, *Domine*, nobis significare veritatem, ut deleamus mendacia, quæ sunt in nostro ore, & nobis demonstrare humilitatem, ne simus superbi, & nobis demonstrare misericordiam, ut simus misericordes, & patientiam, ut simus patientes; sed quid valet, quòd tuum exemplum demonstret omnes istas res, si nolumus recipere significationem ab eo?

15. Sicut sol est lumen & splendor, per quem videmus ea, quæ sunt invisibilia in tempore tenebrarum; ita, *Domine*, exemplum tuæ Passionis est signum lucidum & splendidum, per quod possumus videre vias, in quibus homo vadit ad benedictionem & gloriam perdurabilem; sed, sicut splendor solis

folis est absconditus homini cœco ratione privationis visus corporalis, ita hominibus, qui non vident in anima id, quod Crux significat, est abscondita & obscurata via benedictionis & gloriæ ratione privationis visus spiritualis, qui non est in anima existente in peccato.

16. f. *Patiens Domine, virtuose, gratiose, abundans omnibus bonis!* Multos homines video in hoc mundo, qui ratione exempli tuæ Passionis habent multas divitias & prosperitates & delectationes; sed pauci sunt, qui velint sequi tuum exemplum in illa paupertate & in illis pœnis, quibus Tu ipsum nobis formasti & figurasti & significasti.

17. Si tuum exemplum per unum modum nobis demonstrat paupertatem & humilitatem & pœnas & dolores & labores & mortem, *Domine*, per alium nobis demonstrat divitias & nobilitates & honorationes & delectationes cœlestis gloriæ, quæ nunquam habebunt finem.

18. Beati sunt, *Domine*, omnes, qui sequuntur tuum exemplum veraciter & sine
ulla

Vo. II. Li. III. Dist. XXIII. Cap. CXXIII. 249
ulla simulatione & hypocrisi; & maledicti
sunt, qui ipsum sequuntur falsò & fictè, ut
habeant delectationes & prosperitates hujus
mundi.

19. g. *O Rex Regum! O Domine Domi-
norum! O Sancte Sanctorum!* Pulcherrimum
signum & pulcherrima pictura & pulcher-
rimum exemplum, quod homo possit vide-
re in hoc mundo, est exemplum tuæ Pas-
sionis; quia non est ullus flos nec ramus
nec folium nec pomum, quod sit adeò pul-
chrum visu, sicut figura tuæ Crucis; & adeò
pulchrum & bonum est tuum exemplum;
quòd omnes, qui ipsum imitantur, sint
pulchriores & meliores ad videndum &
amandum & honorandum, quàm ullæ aliæ
res, quæ sint in hoc mundo.

20. Si tuum exemplum, *Domine*, est
pulchrum ad videndum in Cruce, multò
pulchrius est ad videndum in hominibus re-
ligiosis & amatoribus Veritatis; quia pro-
pinquior est in natura & similitudine tuæ
Humanitati figura beati religiosi, quàm fi-
gura Crucis; quoniam figura, quam vide-
mus

250 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
mus in Cruce, est pictura in ligno, sed beatus religiosus est illius speciei, cujus est tua gloriosa Humanitas.

21. Si in imagine Crucis, *Domine*, sunt pulchræ ad videndum picturæ tuorum vulnerum & tuarum lacrymarum & tuæ nuditatis & tuæ vilis mortis, quantò pulchriora essent ad videndum vulnera, ploratus & labores & dolores & angustiosæ mortes in religiosis, qui per tuum exemplum vellent venire ad Te, sicut Tu ivisti de hoc sæculo in alterum?

22. h. *Vere Domine, in quo sunt complementa omnium bonorum!* Sicut rosa rubea & alba vel flos lilii vel alius flos sunt pulchræ res ad videndum; ita & adhuc plus est pulchra res ad videndum tua figura in Cruce; quia, sicut rosa vel flos lilii sunt in pulchritudine ratione sui coloris & suæ figuræ, ita tua imago est pulchra ad videndum ratione languorum & amaritudinum & dolorum, quos significat & repræsentat de tua Passione & de tua gravi Morte.

23. *Amorose Domine!* Quoniam imago
Crucis

Crucis est adeò pulchra ad videndum, quomodo potest esse, quòd homo velit videre ullam aliam rem nisi Crucem, dum est ante ipsam? & quare removet homo suum visum à Cruce, & respicit mulieres, in quibus non videtur albedo & rubedo nisi ratione luxurix & impudicitix?

24. Signum tuæ gravis Passionis, quod est Crux, video, *Domine*, deferri, quando homines vadunt ad sepeliendum mortuos; sed quis videt homines ire ad mortem sequendo hoc signum? unde hoc est valde mirum, quòd homines deferant Crucem coram mortuo, ut mortuus inde honoretur, & fere nullus honoret Crucem in hoc, quòd velit sequi significationem ipsius in sua morte.

25. i. *Virtuose Domine, per quem dirigimur ad gloriam perdurabilem*: Quando extendo mea brachia, video meum corpus in similitudinem Crucis; sed quando quæro in meo corde amorem & voluntatem & memoriam & cogitationem tuæ Passionis, video, quòd meum corpus demonstret figuram

ram Crucis, & meum cor non amet ipsam Crucem: unde hoc est magna vilitas mea, quòd corpus sit in figura Crucis, & falsum cor non amet nec laudet Crucem.

26. Quando ego, *Domine*, respicio tuam imaginem in Cruce, video tuum Caput inclinatum versús terram, ut tui oculi respiciant nos, qui valde indigemus tuâ Misericordiâ: unde, si tui oculi respiciunt nos, quomodo potest esse, quòd oculi nostræ mentis non eleventur ad tuam Bonitatem? & quare nostri oculi corporales non respiciunt in Crucem, in qua apparet tuum gloriosum exemplum?

27. *Placens Domine!* Quando ego video in hoc mundo homines sequi exemplum bestiarum, & quosdam homines sequi exemplum aliorum, valde miror, quomodo possit esse, quòd tam pauci homines sequantur tuum exemplum; quia nullâ morte video mori adeò paucos homines, sicut illâ, quâ Tu es mortuus pro nobis peccatoribus.

28. K. Tuæ sanctitati & tuæ benedictioni

ni cognoscatur, *Domine*, omnis nobilitas & omnis bonitas & omnis perfectio; quia, cum terra aperiatur & scindatur præ magno calore solis, quomodo potest esse, quòd quando signum Crucis stat ante nostros oculos, nostrum cor non calefiat amore, & nostri oculi non madefiant lacrymis plorando?

29. Si mei oculi, *Domine*, non possunt stare directè contra splendorem solis, quomodo potest esse, quòd ita audacter possint respicere Te in Cruce, in qua apparet tuum benedictum exemplum? quia multò plùs mei oculi deberent verecundari respiciendo Crucem, quàm tremere respiciendo solem; quoniam ipsi sunt culpabiliores tuæ Cruci, quàm splendor solis sit lucidus contra ipsos.

30. Adeò est mihi dulce & placens ad videndum exemplum tuæ Passionis, *Domine*, quòd meum cor non fatiabitur amore, nec mei oculi ploratibus, quousque totum meum sanguinem effuderim pro amore Tui, & totam humiditatem mei corporis expulerim in sudore & lacrymis ad dan-
dum

dum laudem de meo Domino JESU Christo.

CAPUT CXXIV.

QUOMODO VISVS CORPORALIS

hominis sit finitus & terminatus.

1. **D**ivine Domine! Tibi fiat reverentia
 a. & honor, & omni, quod tuum est;
 quia terminasti & finisti visum hominum
 usque ad certum terminum, ultra quem
 nullus homo potest videre oculis corpora-
 libus.

2. Adeò est homo res fragilis & mi-
 sera, Domine, quòd visum suorum oculo-
 rum corporalium non possit extendere us-
 que ad terminos corporum, imò convenit,
 quòd ipse sit terminatus inter extremitates
 corporum habentium magnitudinem in
 quantitate majorem, quàm oculi possint
 comprehendere; quia non est ullus homo,
 qui possit videre extremitates terræ nec ma-
 ris nec aeris nec aliarum magnarum re-
 rum.

3. Sicut oculi corporales non possunt videre omnes extremitates terræ nec maris nec aeris nec firmamenti, ita, *Domine*, deficiunt ad videndum omnia genera & species individuorum creaturarum; quia tot sunt creaturæ, quòd oculi non possint eas comprehendere videndo eas omnes, imò oportet, quòd terminentur in ipsis.

4. b. *Domine vere DEVS, á quo venit vera vita, & á quo veniunt omnes gratia & omnes benedictiones!* Quia visus hominis est terminatus & finitus, evenit, quòd homo videat de uno loco in alium, & ultra non possit extendere suum visum; & propterea homines quandoque vident res, quas nunquam viderant, & quandoque vident res, quas ampliùs non videbunt.

5. Quoniam oculi corporales sunt terminati & finiti, oportet, *Domine*, quòd oculi spirituales se extendant & transcendant terminos, intrà quos oculi corporales sunt finiti; & propterea oculi animæ transcendunt & vident res, quas oculi corporis non possunt

sunt

sunt videre.

6. Igitur, quando oculi corporales, *Domine*, vident aliquam rem retro aliquod vitrum vel in fundo aquæ, terminus visus terminatur in superficie vitri vel aquæ; sed ratione diaphanitatis vitri vel aquæ illa res repræsentatur visui in superficie vitri vel aquæ: unde per istam similitudinem possumus intelligere, quomodo oculi spirituales se extendant ultra terminos, in quibus terminantur oculi corporales; quia, quando oculi corporales deficiunt ad videndum res spirituales, in demonstratione, quam oculi corporales faciunt spiritualibus, oculi spirituales vident & percipiunt in sensualitatibus res intellectuales.

7. c. *O Domine DEVS, qui custodis & salvas beatos à manibus suorum inimicorum!* Sicut oculi corporales vident in superficie speculi figuras, quæ stant ante speculum; ita oculi spirituales vident in creaturis suum Dominum & suum Factorem & Creatorem.

8. Quando oculi corporales, *Domine*, vident

vident navem vel aliquod aliud artefactum, tunc oculi spirituales vident factorem illius navis vel artefacti; quia ex demonstratione, quam oculi corporales faciunt spiritualibus, transeunt spirituales ad videndum ipsum factorem; & similiter oculi spirituales vident Creatorem & Factorem in omnibus creaturis, quæ videntur oculis corporalibus: igitur id, quod oculi spirituales vident per cognitionem, terminat oculos corporales, in quantum non potest videri ab ipsis.

9. Sed, quia oculi corporales, *Domine*, sunt terminati intrâ breve spatium, & non possunt videre omnia, quæ creasti & fecisti; propterea oculi spirituales deficiunt, & non possunt habere cognitionem de omnibus bonis & operibus, quæ creasti & fecisti.

10. d. *O Domine aeternae, qui es principium & finis omnium creaturarum!* Visum hominis video esse ita terminatum & finitum in rebus parvis, sicut in magnis; quia, sicut non potest videre totam magnitudinem superficiei terræ, ita sunt multæ res adeò par-

R

væ,

væ, quòd non possit eas videre nec comprehendere.

11. Adeò parva res est, *Domine*, incrementum vel decrementum, quod est in vegetabilibus & animalibus, quòd oculi corporales non possint ipsum videre; & ideò sua parvitas terminat ipsos: igitur, si oculi corporales sunt terminati à rebus corporalibus per nimiam magnitudinem & parvitatem, non est mirum, quòd sint terminati à rebus spiritualibus.

12. Igitur benedictus sis, *Domine DEVS*; quia, sicut visus corporalis est terminatus à rebus corporalibus nimis magnis vel parvis, ita visus spiritualis est terminatus à rebus spiritualibus nimis magnis vel parvis ad percipiendum & cognoscendum ab humano intellectu.

13. e. *O Domine DEVS*, qui es dignus amari & honorari & laudari & timeri! Sicut claritas solis impedit oculos corporales, ne possint videre tam longè, sicut viderent, si sol non demonstraret tantam claritatem; ita per contrarium oculi animæ, quò

quò meliùs Te demonstras eis, eò plùs vident & percipiunt tuam magnam Bonitatem & Virtutem.

14. *Pie Domine!* Sicut tenebræ terminant visum intra parvum terminum per defectum splendoris, ita peccata & culpæ & mala opera, quæ facimus, terminant intrà parvum terminum sapientiam animæ, quæ est terminata per defectum bonorum operum: unde ratione parvi termini, intrà quem sapientia, & cognitio animæ est terminata, ignoratur à nobis tuum Opus, quod est valde altum & magnum & nobile in omnibus rebus, quas dixisti & fecisti.

15. *Liber Domine, plene gratiâ!* Sicut visus corporalis est terminatus intrà brevius spatium, in quo potest terminari, quando oculi sunt clausi; ita brevior terminus, in quo visus animæ potest esse terminatus, est, quando anima est otiosa, & non memorat nec cogitat nec imaginatur tuam Bonitatem nec tuum honoratum Dominium, nec vilitatem & miseriam vanæ gloriæ mundanæ.

16. f. *O Domine perdurabilis in perpetuum, honorate super omnes honorationes! Terminus, in quo visus corporalis est terminatus, est res invisibilis, quæ non potest videri oculis corporalibus: & propterea res invisibiles concludunt & comprehendunt res visibiles, in quantum non possunt videri intra terminos, in quibus res visibiles videntur.*

17. *Benigne Domine! Sicut visus corporalis est terminatus in rebus invisibilibus; ita visus animæ, qui est spiritualis, est terminatus in rebus visibilibus corporaliter, quia non potest videre nisi cogitando & memorando & imaginando & intelligendo.*

18. *In omni, quod videmus, Domine, sive oculis corporalibus sive spiritualibus, est terminatus noster visus: unde benedictus sis Tu, qui vides omnia sive sint corporalia sive spiritualia; quia non vides terminatè, imò vides taliter, quòd tuus visus in nulla re sit terminatus.*

19. g. *O Domine DEVS, qui es amator Veritatis & Virtutum! Quia non est naturale*

rale & proprium oculis corporalibus videre invisibilia ; propterea evenit , quòd multi homines discredant ea, quæ sunt invisibilia, & , quæ non vident oculis corporalibus, putant , quòd non sint in *esse* : unde quia ipsi volunt ea videre oculis , quibus non possunt ea videre, & claudunt oculos, quibus possent ea videre, ideo dubitant de rebus , de quibus possent certificari, si oculis spiritualibus eas aspicerent.

20. Illi certificantur de veritate , *Domine*, qui oculis corporalibus aspiciunt res corporales, & oculis spiritualibus res incorporales; quia, quando eis deficit visus sensualis, vident visu intellectuali ; & propterea inveniunt veritatem rerum , quam inquirunt.

21. *Amorose Domine* ! Termini visus corporalis sunt in superficie corporum; quia oculi corporales non possunt videre, nisi superficiem corporum , sed oculi animæ vident intrà & extra superficiem ; & propterea visus corporalis est terminatus intrà brevius spatium, quàm visus spiritualis; quare

re

262 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
re anima longiús videt , quàm corpus , &
videt plures res & subtiliores, quàm corpus
possit videre.

22. h. *O Domine immortalis ! O Domine
pie, plene dulcedine & misericordiâ !* Quan-
do tuus servus & tuus subditus erit mortuus
& sepultus sub terra, & terra erit super su-
am faciem & oculos & totum corpus, tunc
sui oculi corporales erunt taliter terminati,
quòd nihil videbunt ; sed, si ita sit, quòd
Tibi placeat suam animam ire ad tuam
gloriam, ipsa videbit magnam dulcedinem
& magnum splendorem & magnam glori-
am in vita perdurabili.

23. Postquam homo est mortuus , *Do-
mine* , suus visus corporalis est & erit ter-
minatus in privatione usque ad diem judi-
cii, in quo anima recuperabit corpus , &
corpus animam; sed ex tunc beati, qui erunt
in gloria , videbunt visu corporali tuam
Humanitatem, & visu spiritali tuam Dei-
tatem.

24. *O Domine !* Quam parva & brevia
sunt spatia, in quibus noster visus corpora-
lis

lis & etiam spiritualis est terminatus in hoc sæculo, quoniam quælibet res eum terminat; sed in tua gloria post diem iudicii oculi corporis & animæ videbunt multas glorias & beatitudines, & semper videbunt id, quod volent videre.

25. i. *Domine magne, Domine alte, Domine nobilis*! Sicut quidam homines habent visum corporalem subtiliorem & clariorem, quàm alii in hoc, quòd videant longiùs, & videant minores res, quàm alii, ita est de oculis spiritualibus; quia quidam homines habent plus sapientiæ & scientiæ & subtilitatis, quàm alii.

26. Sicut oculi corporales non possunt se extendere ad videndum ultra terminos, intrà quos sunt terminati, nisi homo ultra progrediatur & appropinquet illi termino, ita, *Domine*, est de oculis spiritualibus; quia anima non potest videre ultra terminos, in quibus videt, nisi se mutet de rebus, quas videt ad alias.

27. Multi homines pigri otiosi habent terminatos oculos suæ animæ intrà parvum
ter-

264 B. Raym. Lulli Lib. Contempl.

terminum, quia nolunt se mutare de una cogitatione in aliam, nec de una consideratione in aliam, nec de una voluntate in aliam; & ideo suus visus spiritualis est excecatus intrà parvum spatium sapientiæ, & sui termini sunt magni in ignorantia.

28. K. *Gloriose Domine, plene omnibus gloriis, in quo inveniuntur omnes remissiones & omnes gratia!* Cùm tuus servus & tuus subditus terminaverim meos oculos corporales aspiciendo res sensuales ad opera peccati, peto à Te gratiam, ut in posterum non terminem oculos meæ animæ ad videndum ullam aliam rem, nisi tuam Bonitatem & meam fragilitatem & miseriam; quia cogitando & imaginando tales res pervenit homo ad cœlestem gloriam.

29. Cùm oculi meæ animæ sint terminati intrà parvum spatium sapientiæ, peto à Te gratiam, *Domine*, ut extendas terminos ipsorum ad hoc, ut meus visus sit magnus in videndo ea, quæ Tibi sunt placentia & amabilia.

30. Tuus captivus & tuus subditus,
Domine,

Domine, agit Tibi multas gratias, quia ei
cedisti gratiam & adjutorium ad perficien-
dum istam Distinctionem, & sperat in ea-
dem gratia & adjutorio perficere alias Dis-
tinctiones futuras ad laudem & gloriam

Tui, qui es suus Dominus & suus
DEUS.

DISTINC.




DISTINC. XXIV.

DE AVDITV.

CAPUT CXXV.

QUOMODO HOMO AVDIAT VO-
ces & verba.

1.
a.

DEVS magne, mirabi-
lis: Tibi, Domine, sit ho-
noratio & laus & amor
& benedictio, qui dedis-
ti hominibus auditum ad
audiendum voces & ver-

ba & strepitus, quæ audimus à rebus motis
& tactis, & à loquentibus & clamantibus
& sonantibus.

2. Cúm nostris auribus corporalibus,
Domine, sit proprium audire voces & verba
& clamores & sonos & strepitus, per istam
sensualitatem, quam habemus, oportet,
quòd nos mutemus ad audiendum auribus
cordis

Vo. II. Li. III. Dist. XXIV. Cap. CXXV. 267
cordis cogitando & memorando & percipi-
endo & imaginando & intelligendo tuam
magnam Bonitatem & Nobilitatem, quæ
nobis significantur per auditum rerum cor-
poralium.

3. Sicut nostræ aures corporis audiendo
audiunt in una figura quasdam voces vel
verba vel strepitus vel sonos, & quasdam in
alia figura; ita, *Domine*, nostræ aures cor-
dis audiunt diversimodè tuum honoratum
Dominium & tuam gloriosam Gloriam &
tuam honoratam Honorationem & tuam
gloriosam Perfectionem.

4. b. *Liberalis Domine gratiose, in quo su-
munt perfectionem omnia bona, & à quo ve-
niunt omnes virtutes!* Quando aures corpo-
rales audiunt instrumenta concordantia fa-
ciendo sonos & pulchros concentus & or-
dinatam harmoniam, tunc aures cordis ha-
bent placitum & jucunditatem, & dant læ-
titiæ & complacentiam animæ.

5. Igitur, sicut per sonos, quos homo
audit in instrumentis, lætificantur sensus
spirituales animæ, ita, *Domine*, est rationa-
bile,

bile, quòd anima, quando recipit lætitiã
 à rebus sensualibus, se mutet ad gaudendum
 & vivificandum se in tuo alto Dominio &
 in tua gloriosa Potestate & in tua vera Jus-
 titia & in tua pia Misericordia.

6. Sicut auditus sensualis audiendo pul-
 chra & placentia verba est occasio auditui
 spirituali, ut per ipsum anima lætificetur,
 ita, quando homo, *Domine*, audit verba,
 quæ narrant graves dolores & pœnas & an-
 gustiosam mortem, quam sustinuiſti pro no-
 bis peccatoribus, deberet tristari & mœrere
 præ gravi dolore, quem sustinuiſti in
 Cruce.

7. c. *Domine amate, Domine honorate, Domi-
 ne metuẽde ab omnibus populis!* Sicut metalla
 dant diversos fonos nostris auribus in hoc,
 quòd argentum det unum sonum & aurum
 alium & ferrum alium & cuprum alium, &
 unus sonus non est similis aliis, ita poten-
 tiæ animæ dant diversas significationes au-
 ribus cordis; quia anima intelligit poten-
 tiam vegetativam in una forma, & in alia
 potentiam imaginativam, & in alia ratio-
 nalem;

Vo. II. Li. III. Dist. XXIV. Cap. CXXV. 269
nalem ; & per istas differentias , quas intel-
lectus intelligit in potentiis , percipit & in-
telligit significationes secundum naturam
& proprietates ipsarum.

8. *Amorose Domine!* Sicut auditus sen-
sualis est ordinatus & dispositus ad audien-
dum voces & verba secundum naturam &
proprietates illarum creaturarum, in quibus
formantur , ita auditus spiritualis est ordi-
natus & dispositus ad audiendum per intel-
ligentiam significationes , quas dant voces
& verba ; quia, sicut auditus sensualis stat
in auribus, ita auditus spiritualis stat in in-
tellectu.

9. *Vere Domine!* Sicut auditus sensua-
lis perturbatur in audiendo per remotionem
loci & per intermedium parietis vel alia-
rum rerum, quæ sunt inter illos, qui lo-
quuntur vel faciunt strepitum, & illos, qui
audiunt ; ita intellectus animæ impeditur
in audiendo intellectualiter per perturba-
tionem potentiarum & sensuum animæ ;
quia nimix cogitationes & memorations
& imaginationes & nimix affectiones sunt
obsta-

obstaculum potentiæ rationali, ne possit integrè intelligere id, quod intelligeret, si obstaculum non haberet.

10. d. *O Domine fortis! O Domine sapiens! O Domine nobilis super omnes nobilitates!* Quando meæ aures audiunt homines me inhonorantes & reprehendentes & illudentes & maledicentes, sentio meum cor moveri ad iram & malevolentiam, & incipere velle tractare malum.

11. Si mea anima turbatur & tristatur & paratur ad omne malum per hoc, quòd meæ aures audiant, quando illudor & vilipendor & reprehendor; quomodo potest esse, *Domine*, quòd non lætetur & vivificetur in tuis laudibus & honorationibus, quando meæ aures audiunt Te laudari & benedici & Tibi gratias agi propter amorosas gratias, quas nobis fecisti? quia, si tristatur, quando audit me, qui sum res vilis & misera, illudi & vilipendi & reprehendi, multò plús deberet lætari, quando audit Te laudari & honorari & benedici & amari.

12. Omnes isti defectus sunt in mea anima, *Domine*, quia claudit aures, quibus audiuntur tuæ Bonitates & tuæ Honorationes & tuæ Virtutes, & aperit aures, quibus audiuntur vana gloria & honorationes mundanæ; & quando audit contrarium vanæ gloriæ, habet displicentiam, quia non audit id, quod amat & desiderat.

13. e. *Misericors Domine, perdurabilis, plene dulcedine & pietate!* Multoties evenit mihi, quòd stem ante tuum gloriosum Altare in præsentia Crucis, quæ demonstrat meis oculis tuam gravem Passionem, & audiam in meo ore verba, quæ Te laudant & benedicunt, & in meo corde habeam recordationes & cogitationes de vanitatibus mundanis, quæ sunt contrariæ verbis, quæ meum os loquitur.

14. Non est ullus homo, *Domine*, quantumcunque dormiens, qui non suscitetur à somno per magnum tonitru vel per magnum ventum vel per magnum strepitum vel per magnum clamorem: igitur si aures corporales suscitant hominem per magnas

voces

voces vel per magnos strepitus, quos audiunt, valde miror de mea anima, quæ tam diu dormivit in peccato, quomodo potuit esse, quòd gravia peccata, quæ fecit, non suscitaverint & evigilare fecerint eam in pavore & pœnitudine ipsarum.

15. De rebus magnis audimus, *Domine*, quandoque parvas voces & strepitus, & de rebus parvis magnas voces & strepitus; & similiter nostra anima quandoque excitatur per res parvas & parum necessarias, & dormit in rebus magnis & valde necessariis.

16. f. *Virtuose Domine super omnes virtutes, in quo omnes bonitates sumunt perfectiorem!* Tu dedisti hominibus auditum, ut per verba, quæ audiunt, percipiant & intelligant voluntatem & mentem, quam loquentes habent in corde; sed, quia nos sumus falsificati per peccatum, dicimus ore res contrarias illis, quas habemus in corde; & propterea noster auditus est fere frustra in nostris auribus.

17. Tu, *Domine*, dedisti hominibus auditum,

ditum, ut intelligant & percipiant veritatem rerum præteritarum & futurarum; quia sine auditu non possent ipsam ita bene percipere sicut cum auditu; sed, quid prodest nobis auditus, quoniam res præteritas & futuras ponimus in dubio respectu rerum præsentium, quæ non sunt in majori veritate, quàm fuerint res præteritæ, & erunt res futuræ.

18. Adeò dubitatur de rebus præteritis & de futuris respectu præsentium, *Domine*, quòd aures cordis sint clausæ ad audiendum cogitando & percipiendo significationes & status rerum præteritarum & futurarum; & ratione hujus plús placet & verius videtur hominibus id, quod audiunt de præsentibus auribus corporalibus, quàm id, quod cogitant & percipiunt de rebus præteritis & futuris.

19. g. *O Domine DEVS, qui amaris & honoraris in omni tempore sæculi!* Adeò diversæ sunt linguæ in hoc mundo, quòd multa idiomata audiam, quæ mihi videntur esse voces vel idiomata bestiarum, quia
S
meæ

meæ aures non sunt assuetæ audire talia idi-
omata ; & propterea meus auditus intellec-
tualis non potest percipere id, quod ipsa
significant, & meum cor non recipit ullum
adjutorium ex tali auditione.

20. „Cúm tuus servus & tuus subditus
„coner, *Domine*, quantum possim, intelli-
„gere linguam arabicam, ut per eam possim
„Arabis significare veritatem, peto à Te,
„ut mihi des gratiam & benedictionem ad
„citò intelligendum & significandum per
„verba arabica veritatem tuæ sanctæ Incar-
„nationis & Passionis & tuæ sanctæ Trini-
„tatis.

21. Si ego, *Domine*, scirem & intelli-
gerem linguam arabicam, parúm mihi pro-
desset, nisi haberem devotionem per ipsam
significandi veritatē sanctæ Fidei Romanæ;
„quapropter peto à Te gratiam, ut, quo-
„niam mihi concedis intelligere illam lin-
„guam, mihi facias gratiam habendi devo-
„tionem ad laudandum & benedicendum
„Te in illa lingua, & non dubitandi nec ti-
„mendi ullam pœnam, quæ mihi posset in-
„fligi

„fligi ab ullo homine existente in lingua
„arabica nec in alia.

22. h. *Pie Domine misericors, abundans omnibus bonis!* Sicut verbum generatur & formatur in aere per motum linguæ & labiorum, & postea auditur in auribus, & de auribus transit intelligentia ad cor, ita admonitiones & consilia, quæ Angeli & dæmones suadent hominibus, formantur & audiuntur in anima.

23. *Sicut in potentia rationali, Domine, sunt aures intellectuales ad intelligendum & sciendum admonitiones & consilia, quæ Angeli dant animæ, ut faciat bona opera; ita in potentia sensitiva sunt aures, quæ audiunt fraudes & falsitates & mala consilia, quæ dæmones suggerunt animæ hominis.*

24. *Misericors Domine!* Cùm in corde hominis sint aures spirituales, quibus audiuntur admonitiones Angelorum & dæmonum, peto à Te gratiam, ut in meo corde claudas aures, quibus audio admonitiones dæmonum, & aperias aures, quibus audiam
igitur. ad-

admonitiones Angelorum.

25. i. *Perdurabilis Domine, in quo non est ullus defectus, & in quo omnes perfectiones accipiunt perfectionem!* Quia homines sunt quandoque in virtutibus, quandoque in vitiis, ideo modò audimus fieri opera virtuosa & misericordiæ, & modò opera mala & errores & falsitates & fraudes & proditioes.

26. Multos homines audio, *Domine*, dicere se esse fideles & veraces & justos & amatores tuos; sed quando aspicio sua opera, mea anima percipit esse falsitatem & fraudem & simulationem omne, quod ipsi dicunt; quia opera sunt contraria verbis, quæ ipsi loquuntur de se ipsis.

27. *O Domine!* Quantò meliùs est audire homines pauperes & religiosos, quàm divites & mundanos! Quia beatos pauperes & veros religiosos quotidie audimus dicere: benedictus sit noster Dominus DEUS, & dicere malum de istis gloriis mundanis; sed homines divites & mundanos quotidie audimus dicere malum de Te, & nomina-

re

re foetores & vanitates hujus mundi.

28. K. *O Domine vere ! O Domine humi-
lis ! O Domine potens in omnibus bonis ! Quo-
tidie audio homines incredulos , qui sunt
inter nos, dicere hærefes & infidelitates, &
vix audio ullum hominem, qui eos arguat
de erroribus, in quibus sunt, & eos dirigat
ad viam veritatis.*

29. Homines clamantes ad illos , qui
sunt procul, audio clamare majoribus & al-
tioribus vocibus, quàm clamantes ad illos,
qui sunt prope: igitur , cùm infideles, *Domine*,
sint magis procul à religiosis, quàm nos
peccatores; quomodo potest esse, quòd reli-
giosi plús & frequentiús clament christianis
peccatoribus , ut exeant à peccato , quàm
infidelibus, qui sunt magis procul ab eis per
falsam fidem & per mala opera?

30. Meliores voces & meliora verba,
quæ homo posset audire in hoc mundo, *Do-
mine*, essent, si homines sapientes & religiosi
infidelibus prædicarent animosè & ferven-
ter sinè pavore mortis veritatem tuæ sanctæ
Unitatis & Trinitatis & Conjunctionis, quæ
fuit

278 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
fuit facta inter tuam sanctam Humanita-
tem & tuam gloriosam Deitatem.

CAPUT CXXVI.

QUOMODO HOMO AUDIAT
laudes & vituperia in hoc mundo.

1. **O** *Divine Domine, in quo est omnis gra-*
tia & misericordia & benedictio! Au-
ribus corporalibus audimus homines mun-
danos vanigloriosos laudari à gentibus, &
vituperari & reprehendi contemptores mun-
di & religiosos; unde aures cordis intelli-
gunt alias laudes & reprehensiones, quæ
non sunt similes laudibus nec reprehensio-
nibus hujus mundi.

2. Auribus corporalibus audio, *Domine,*
laudari divitias & honorationes & delecta-
tiones & pulchras facies & pulchros colo-
res; sed auribus cordis intelligit mea anima
omnes istas laudes esse vanas & transitorias,
quia divitiæ convertuntur in paupertates,
& honorationes in vilipendia, & delecta-
tiones

Vo. II. Li. III. Dist. XXIV. Cap. CXXVI. 279
tiones in labores, & pulchritudines corporum & colorum in putredinem & foetorem.

3. *Amorose Domine!* Quotidie audimus homines mundanos deridere & contemnere & inhonorare & maledicere homines justos & homines religiosos, qui in tuo servitio delectantur; sed in corde audit noster intellectus cogitando & imaginando illas inhonorationes & maledictiones converti in laudes & honorationes & placita beatorum, qui pro tuo amore laborant.

4. b. *O Domine vere DEVS, qui salvas & custodis & defendis omnes, quos vis!* Quotidie audio Te laudari ab hominibus in Ecclesiis & in plateis & in viis; sed quid profunt eis istae laudes, quoniam Te laudant ore, & in suo corde non Te amant nec honorant?

5. *Humilis Domine!* Multoties audio homines praesumptuosos & nescios maledicere & inhonorare & reprehendere Te: unde, si meae aures sensuales audiunt dici de Te tales infamias, aures intellectuales audiunt

diunt Te laudari in humilitate & pietate & patientiâ.

6. Quotidie audimus, *Domine*, laudari homines facientes bona opera & evitantes mala, ut laudentur à gentibus, & ut habeant vanam gloriam in hoc mundo; sed illæ laudes sunt falsæ, & ipsi plûs deberent vituperari & reprehendi, quàm laudari & benedici; quia habent falsam intentionem in omni, quod faciunt.

7. c. *Misericors Domine, plene dulcedine & Misericordiâ!* Multos homines audio laudare Te secundùm dona & bona, quæ eis das in hoc mundo; & multos alios audio maledicere Te secundùm pœnas & tribulationes, quas eis das in hoc mundo.

8. Unde, cùm Tu, *Domine*, debeas laudari ultra bona, quæ das, quia vales plûs, quàm ipsa, & non debeas vituperari propter pœnas, quas das, quia justè eas das; ideo mihi videntur laudes, quæ dicuntur de Te, debere esse majores & nobiliores, & vituperia, quæ dicuntur de Te, dici injustè & finè omni ratione.

9. Auri-

9. Auribus corporalibus audimus, *Domine*, laudari res, quæ deberent reprehendi, & vituperari & maledici res, quæ deberent laudari: igitur benedicti sunt homines, qui laudes & vituperia, quæ audiunt auribus corporalibus, imaginantur & cogitant auribus intellectualibus; quia, dum intellectus tractat de illis laudibus vel vituperiis, raro continget, quòd non cognoscant, quænam res debeant laudari, & quænam vituperari.

10. d. *Liberalis Domine, amorose, simplex & dulcis & suavis!* In laudibus & vituperiis, quæ audimus dici ab hominibus, percipimus virtutes vel vitia laudantium vel vituperantium; & in operibus ipsorum percipimus virtutes vel vitia laudatorum vel vituperatorum.

11. Homines falsi, mendaces & vitiosi, *Domine*, laudant illos, qui sunt mali & vitiosi, sicut ipsi, & vituperant illos, qui sunt boni & veraces, quia non sunt eis similes in consuetudinibus & operibus; quapropter in laudibus & vituperiis, quæ audimus

mus

mus dici ab eis, possumus cognoscere, quinam ipsi sint, & quinam sint illi, quos laudant vel vituperant.

12. Nam, si homo vilis & vitiosus & malæ vitæ laudet aliquem, possumus cognoscere, quòd ille, quem laudat, non sit dignus laudari, imò sit dignus reprehendi & vituperari; &, si vituperet aliquem, possumus cognoscere, quòd ille, quem vituperat, sit dignus laudari & honorari & excusari.

13. c. *O Domine DEVS, qui vindictam sumis ab omnibus, qui Tibi faciunt injuriam: Tibi sit gloria & honoratio semper; quia per hoc, quòd sis unitus in Deitate & Humanitate, dicuntur de Te multæ laudes & honorationes, quæ non possent dici secundum veritatem, nisi esses insimul DEUS & Homo.*

14. Quoties auribus sensualibus audio, *Domine*, laudes de tua gloriosa Essentia divina, toties auribus intellectualibus audio vituperia & miserias & parvitates de me; quia, quando audio Te laudari de Infinita-

te & Æternitate & perfecta Potestate & Sapientia & Justitia & Misericordia, intelligo me carere omnibus honorationibus, quæ dicuntur de Te.

15. Bonum est, *Domine*, auribus sensualibus audire laudes & honorationes & nobilitates de Te; sed multò melius est auribus intellectualibus contemplando audire imaginationes & recordationes & cogitationes & dilectiones tuæ Bonitatis & Magnitudinis & Honorationis & tuarum Virtutum; quia multò majus placitum & majorem dulcedinem recipit auditus animæ, quando audit laudes de Te, quàm auditus corporis.

16. f. *Domine vere DEVS, qui es vera Vita, à qua omnes vitæ recipiunt vitam!* Beati essent homines, si adeò magnum placitum & bonum saporem haberent, quando audiunt Te laudari, sicut quando audiunt laudari se ipsos; & beati sunt omnes, qui habent adeò magnam displicentiam, quando audiunt dici malum de Te, sicut quando audiunt dici malum de se ipsis.

17. Adeò

17. Adcò dignum est & rationabile, *Domine*, Te laudari & benedici ab omnibus populis, quòd majus desiderium meum sit in hoc mundo audire Te laudari ab omnibus gentibus, & meas aures nihil aliud audire nisi laudes de tua gloriosa Essentia divina, & de tua misericordi & benedicta Humanitate.

18. *O Domine!* Quantò major esset ratio & sapientia, quòd homines laborantes nocte & die in gravibus sollicitudinibus, ut possint audire laudes de se ipsis, laborarent, ut audirent laudes de Te! Nam omnes labores quos perferunt, ut laudentur, eos ducunt ad graviores labores & languores; sed, si laborarent, ut audirent Te laudari & benedici, illi labores & pœnæ eos ducerent ad perdurabilia remedia & ad perdurabiles glorias.

19. g. *O Domine laudate! O Domine honorate! O Domine plene gratiâ & virtute!* Quid prodest Regibus & Principibus & Baronibus audire laudes de se ipsis; quoniam, si semel laudantur, centies maledicuntur &

virtu-

No. II. Li. III. Dist. XXIV. Cap. CXXVI. 283
vituperantur; & si semel laudantur secundum veritatem, centies laudantur injustè & contra veritatem? igitur, quare volunt audire alias laudes nisi de Te, qui ab omnibus debes laudari, & semper laudaris secundum veritatem & non potes vituperari nisi injustè & contra veritatem?

20. Si Principes & Barones & homines mundani, *Domine*, ad audiendum laudes de se ipsis, dant & expendunt equos & mulos & palefridos & pretiosas vestes & pecunias aureas & argenteas, quomodo potest esse, quòd ad audiendum laudes de Te non expendant & dent res similes istis?

21. Valde conveniens esset, *Domine*, quòd, quando homo audit laudari tuam Deitatem, secundum quod ad eam pertinet, statim inflammaretur in tuo amore & servitio; & quando audit laudari tuam Humanitatem secundum gravem Passionem, quam sustinuit in Cruce, statim essent fletus & lacrymæ in suis oculis.

22. h. O *Domine*, qui es verus amicus tuorum amicorum, & qui es memor omnium in

Te

Te confidentium! Adeò est potentia rationalis subdita sensitivæ in hominibus, quòd potentia sensitiva eis det desiderium audiendi laudes, & odiendi vituperia de se ipsis.

23. Igitur, quia est res inordinata, quòd potentia sensitiva sit domina rationalis; propterea cadunt homines in inordinatum desiderium, & volunt audire laudes de rebus, quæ debent vituperari, & vituperia de rebus, quæ debent laudari & benedicì.

24. Tuus servus & tuus subditus, *Domine*, multoties dixi malum de viris & mulieribus valde injustè, & in rebus, in quibus debebam eos laudare, eos vituperabam; & propterea, quando audio gentes dicere multa mala de me, memor sum mali, quòd injustè dixi de aliis, & cogito tuam justitiam esse justam; quoniam, cùm ego dixerim malum de aliis injustè, justum est, quòd maledicar & reprehendar injustè in multis rebus: quapropter, quotiescunque audio dici malum de me, do laudem & gloriam Tibi,

Tibi, qui es justus Judex in omnibus re-
bus.

25. i. O Domine bone ! O Domine nobilis !
O Domine amorose, dulcis, simplex & suavis !
Malum est audire homines dicentes Te non
esse in esse, vel tuam Essentiam non esse in
tribus Personis, vel Te non assumpsisse Car-
nem in nostra Domina sancta MARIA ; &
sicut tales res sunt horribiles ad audiendum,
ita est valde gloriosum audire Te esse in
esse, & esse unum DEUM in tribus Perso-
nis, & esse incarnatum in Virgine glo-
riosa.

26. Quando erit illa dies & hora, quâ
ego, Domine, audiam per diversas terras
laudes de tua Trinitate & de tua Incarna-
tione & de tua Passione ? quia multa sunt
loca & terræ, in quibus non audiuntur nec
dicuntur tales gloriosæ laudes.

27. Sicut per præsentiam solis terræ il-
luminantur & calefiunt & fructificant, ita,
Domine, per audire laudes de tua Trinitate
& de tua Incarnatione & Passione homines
illuminantur & diriguntur & inamorantur
&

& recipiunt gratiam à Te; & sicut per absentiam solis terræ sunt in tenebris, & sunt frigidaë, & sunt infructuosæ, ita per absentiam tuarum laudum, quæ non audiuntur in diversis terris, sunt homines in tenebris & in gravibus culpis.

28. K. *Cælestis Domine, in quo non est ullus defectus nec ullum vitium!* Quotidie audio clamare per vicos & plateas præcones dicentes: qui ista faciet, similia recipiet; sed nunquam audio præcones clamantes gentibus: eamus ad moriendum pro amore nostri Domini DEI, quoniam ipse est mortuus pro amore nostri. Et quotidie audio dicere: ille homo erravit, & ille mortuus est malâ morte; sed non audio, *Domine*, ullum hominem sumere exemplum ex hoc, quod audit, imò omnes sumus ita surdi & excæcati, sicut si non audiremus ullum hominem mori & errare.

29. Multos homines video, *Domine*, valde timere maledictiones & vituperia & reprehensiones gentium; & quotidie audio eos dicere malum de aliis, & facere res, pro quibus

quibus debent maledici, vituperari & reprehendi: igitur quid eis prodest suus timor, quoniam faciunt res, propter quas debent maledici, vituperari & reprehendi? ille timor videtur mihi esse frustra, & timor, de quo nulla sequitur utilitas.

30. Multos homines video, *Domine*, qui verescuntur laudare & honorare Te, & non verescuntur tacere laudes, quas nobis mandasti dicere de Te: unde, cum ego fuerim unus ex eis, imposterum nolo verescundari de hoc, in quo non debet esse verescundia, sed volo verescundari de tacere tuas laudes, & de negligere honorationes, quæ pertinent ad Te, qui es dignus laudari & honorari tanquam Dominus divinus.

CAPUT CXXVII.

**QUOMODO HUMANVS AVDI-
tus sit terminatus.**

1. **D**EVUS *patiens, humilis, plene dulce-*
a. **D**omine & *miseriordia & pietate!*
T Cúm

Cúm Tu, *Domine*, sis DEUS adeò altæ Nobilitatis & adeò magnæ Honorationis, humanus auditus, qui est res finita, non potest comprehendere nec attingere omne id, in quo tua Bonitas & tua Virtus est laudata & glorificata & benedicta.

2. *Amorose Domine!* Sicut ora & linguæ hominum deficiunt, & non possunt dicere totam Altitudinem & Bonitatem & Nobilitatem, quæ est in Te, ita non sufficiunt aures hominum ad audiendum omne bonum, quod est in Te.

3. Si in toto tempore, quod fuit, & est, & erit, omnia loca, quæ sunt inter cœlum & terram, essent plena linguis, quæ laudarent & enarrarent bonum, quod est in Te, *Domine*, adhuc non possent tantum dicere, nec homo posset tantum audire, quantum est in Te; quia bonum, quod est in Te, est infinitum, & omne bonum, quod homo loquitur & audit, oportet esse terminatum.

4. b. O *Domine DEVS*, qui salvas & custodis tuos benevolos ab omnibus malis! Adeò est homo res misera & fragilis, quòd
suus

suus auditus sit terminatus in omnibus rebus, quia tempus & locus & verba & voces comprehendunt & terminant ipsum in hoc, quòd usque ad certum terminum & tempus & locum extendatur, & ultra non possit pertingere.

5. Quia iste mundus, *Domine*, est debilitatus & corruptus per opera peccati, propterea nostræ aures non possunt audire multas res, & suus auditus est terminatus intrà breve spatium loci & temporis: igitur benedictus sis Tu, quia non erit ita in altero sæculo; quoniam, quando beati in eo erunt in anima & corpore, tunc termini auditus erunt magnificati & virtuificati & nobilitati in valde majori spatio, quàm sint in hoc mundo.

6. Omnes volentes audire laudes & honorationes de se ipsis in hoc mundo, *Domine*, habebunt in altero suum auditum adeò terminatum in laude sui ipsorum, quòd nullam laudem audient de se ipsis, nec audient ullam gloriarum nec canticorum nec benedictionum, quæ sunt in gloria.

ria.

7. c. *O Domine vere DEVS, qui tot glorias & beatitudines nobis promittis!* Benedictus sis Tu & omne, quod tuum est; quia, quando nostræ aures corporales sunt terminatæ in audiendo linguas & voces, tunc aures spirituales intelligendo transcendunt terminos ipsarum.

8. Aures corporales, *Domine*, non possunt audire res intellectuales, quia non sufficiunt nisi ad audiendum res sensuales, & adhuc omnes ipsas non possunt audire; sed aures intellectuales se extendunt ultra terminos illarum; quia intellectus humanus cogitando & memorando & imaginando audit & intelligit res sensuales & intellectuales in potentia rationali intrâ animam.

9. Quia auditus intellectualis habet amplius spatium & longiores terminos, quàm auditus sensualis; ideo, *Domine*, auditu intellectuali memorando audimus res præteritas, & intelligendo audimus res præsentis & futuras; sed auditus sensualis non suffi-

sufficit nisi ad audiendum res præsentes.

10. d. *Domine alte super omnes altitudines, honorate super omnes honorationes!* In omni, quod homo audit auribus sensu-
libus, aures intellectuales audiunt defectus, quia intelligunt, quòd aures corporales non audiant perfectè id, quod audiunt, quoni-
am multa vera audiunt in similitudinem falsitatis.

11. Multi homines, *Domine*, volunt, quòd audiantur laudes & honorationes de se ipsis in longinquis terris & in diversis locis, ut audiatur à multis hominibus id, quod ipsi amant de se ipsis; unde, cùm ipsi sint terminati intrà parvum locum, & non sint digni audiri per omnia loca, in quibus volunt audiri & nominari, ideo est valde magna ratio, quòd eis veniant à remotis terris sollicitudines & labores & expensæ.

12. Nam, quoniam homo est res mi-
sera & modica & indigna laudari per mul-
tas terras, non deberet velle & desiderare,
quòd sua fama & suum nomen extenderen-
tur per totum mundum; quia, sicut suum

corpus

corpus & sua opera sunt terminata intra parvum terminum, ita sua fama deberet esse similiter terminata.

13. e. *O Rex Regum! O Domine Dominorum! O Amator omnium amorum!* Quid prodest Regi & Principi, quando audit laudari se ipsum falsis laudibus contrariis veritati? & quid ei nocet, si de eo dicatur malum, dum ipse non audit?

14. In veritate dico Tibi, *Domine*, quòd multò plùs noceat Regi vel Principi sentire indigentiam vel infirmitatem vel poenam in suo corpore, quàm audire dici injustè malum de se ipso, & plùs profit cui-libet habere sufficientiam & prosperitatem, licèt non laudetur, quàm esse pauperem & egenum & laudari vanis laudibus & à falsis laudatoribus: igitur quare est homo ita nescius, quòd laboret & se destruat, ut laudetur & non vituperetur?

15. Qui vult extendere terminos auditus intellectualis & vult eos ampliare & magnificare in sapientia & virtutibus, veniat, *Domine*, ad contemplandum in hoc

Libro Contemplationis; quia in eo poterit ampliare suam animam in intelligentia veritatis rerum temporalium & rerum aeternarum.

16. f. *Domine vere DEVS, qui exaudis omnes illos, qui in tua dulci Misericordia confidunt & eam invocant ! Sicut culter acutus hebetatur & obtunditur, quando homo cum eo scindit res grossas & duras & asperas, ita termini aurium intellectualium restringuntur, quando homo tractat de rebus sensualibus plús, quàm de intellectualibus ; & sicut culter hebetatus & obtusus acuitur & aptatur, quando homo circumducit eum per cotem aquaticam, ita termini intellectus ampliantur & extenduntur, quando homo ducit suam mentem & discretionem inter tuam Deitatem & tuam sanctam Humanitatem.*

17. Sicut termini auditus sensualis sunt terminati intrà brevius spatium in aere spisso & grosso, quàm in claro & purificato, ita, *Domine*, termini intellectus restringuntur in rebus sensualibus per grossitiem &

cor-

corruptionem, quæ est in eis; & quia termini intellectus restringuntur in rebus sensualibus, oportet, quòd etiam restringantur in rebus spiritualibus.

18. Tibi, *Domine DEVS*, sint laus & honor & gratiæ, qui beatificasti religiosos Christianos & alios homines sapientes; quia per hoc, quòd ipsi contemnunt res temporales, & non curant, quòd auditus sensualis audiat laudes vel vituperia sui ipsorum, suus intellectus adeò ampliatur & extenditur in scientiis gravibus ad intelligendum & percipiendum, quòd sua mens natet in mari sapientiæ & scientiæ, sicut pisces natant in aquis dulcibus & falsis.

19. g. *O potens Domine, fortis super omnes fortitudines, honorate super omnes honorationes!* Cùm homo habeat suum auditum sensualem terminatum in morte, quid prodest ei constituere hæredem suum cognatum, & ipsum obligare ad habendum suum cognomen, quoniam post mortem non audit illum nominari suo nomine, nec alio quocunque nominetur?

20. Valde

20. Valde magnam stultitiam & fatuitatem mihi videtur, *Domine*, esse, quòd homo habeat vanam gloriam ex hoc, quòd hæres, quem relinquit post mortem, vocetur suo cognomine; quia postquam homo est mortuus, non solum non audit cognomen sui hæredis, sed nec audit vermes, qui in sepulchro rodunt suas aures & sua ossa: igitur, si id, quod est in suis auribus, non potest homo mortuus audire, quomodo audiet cognomen sui hæredis?

21. Si homines vanigloriosi volunt audire laudes de se ipsis in hoc mundo, dum vivunt, non est mirum, *Domine*, sed mirum est super omnia mira, quomodo possint esse adeò nescii, quòd habeant vanam gloriam de rebus, quas non possunt audire nec scire post suam mortem.

22. h. *O Domine DEVS, qui latificas & consolaris tuos amicos in gloria paradisi!* Sicut una auditio sensualis terminatur per aliam, ita una auditio intellectualis terminatur per aliam; quia, sicut auditus sensualis turbatur per diversa verba & diversas

298 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
voces, quas simul audit, ita auditus animæ
turbatur per cogitare & memorare simul
diversas res.

23. Homines superbi & vanigloriosi
vellent, *Domine*, totâ die audire laudes de
se ipsis, & propter magnas occupationes,
quas gentes habent, non possunt eos totâ
die laudare, quia debent de aliis rebus cogi-
tare; & ideo istæ occupationes terminant
laudes illorum, qui volunt laudari: igitur
propterea sunt plures displicentiæ & tædia,
quæ habent volentes audire laudes de se ip-
sis, quàm sint laudes, quas audiunt; & plus
nocent eis istæ displicentiæ & tædia, quàm
profint laudes, quas audiunt.

24. Si homines laudarent die & nocte
illos, qui volunt laudari, non mirarer, *Do-
mine*, si aliquis vellet laudari; sed, cùm ho-
mines sint adeò occupati in suis propriis fa-
ciendis, & non possint tantum laudare vo-
lentes laudari, quantum ipsi volunt, miror
de hominibus vanigloriosis, quare velint
tantum laudari.

25. i. *O Domine JESU Christe Pater &
Domine*

Domine omnium, quæ sunt! Primus terminus, in quo meæ aures inceperunt audire, fuit in introitu hujus mundi, quando audi- vi ploratus & dolores meæ matris; quæ me pariebat, & ultimus terminus, in quo meæ aures finient audire, erit in die mortis, quando planctibus & doloribus meum cor- pus separabitur à mea anima.

26. Si Tibi placeret, *Domine*, quòd quo- niam primus terminus mei auditus sensua- lis fuit in ploratibus & planctibus, ulti- mus terminus ipsius esset in dando laudes & honorationes de Te, valde magnam ho- norationem & gratiam mihi faceres.

27. „Nam, sicut meus auditus ince- „pit in doloribus & ploratibus in die meæ „nativitatis, ita vellem, *Domine*, si Tibi pla- „ceret, quòd in fine meorum dierum fini- „retur & terminaretur in amoribus dando „laudes de tua Unitate & de tua Trinita- „te & de tua gloriosa Incarnatione.

28. K. *Domine sapiens, Domine bone, Do- mine nobilis!* Sicut auditus sensualis exten- ditur & dilatatur intrà terminos, in quibus

est

300 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
est terminatus per multiplicationes verborum & exauditionum & vocum & strepituum; ita auditus intellectualis extenditur & ampliatur intellectualiter per audire diversas rationes & diversas artes & scientias.

29. Qui aures sensuales terminant, *Domine*, audiendo vanitates mundanas, in quantum sunt viles & parvæ utilitatis res, quas audiunt, in tantum sunt parvi termini, in quibus est terminatus & circumscriptus intellectus suæ animæ: igitur, qui volunt extendere terminos sapientiæ, tractent de Te & de gloria cœlesti, & non velint audire loqui quotidie de rebus, quæ nihil valent.


30. Tuus servus & tuus subditus, *Domine DEVS*, conatur, quantum potest, Tibi gratias agere, quia ei dedisti gratiam perficiendi istam Distinctionem; & confidit in tua Misericordia & in tuo Adjutorio, quòd ei dabis gratiam perficiendi & duccendi ad finem alias Distinctiones ad gloriam & benedictionem sui Domini
DEI.

DISTINCT. XXV.

DE ODORATV.

CAPUT CXXVIII.

QVOMODO HOMO ODORETVR
*odores, & quomodo odoratus humanus sit
terminatus.*



DEVS gloriose in omnibus
gloriis, honorate in omni-
bus honorationibus, amate
super omnes amores! Sicut
per odorari bonos odo-
res corpus hominis mo-
vetur ad placitum & delectationem, ita,
Domine, anima rationalis per cogitare &
memorare bona opera movetur ad placi-
tum & amorem; &, sicut per odorari malos
odores corpus hominis movetur ad displi-
centiam & aversionem, ita per cogitare &
memorare mala opera movetur anima ra-
tionalis

tionalis ad tristitiam & displicentiam & aversionem ab eis.

2. *Amorose Domine!* Quando homo odoratur flores bonorum odorum, vel odoratur ambram vel moschum vel balsamum vel alium bonum odorem, dulcis odor est ei occasio mutandi se ad opera peccati per magnum placitum, quod sentit in odoribus; sed quando odoratur foetores putrefactionis hominum mortuorum, illi odores mali & foetidi sunt ei occasio contemnendi vanitates & foetores hujus mundi.

3. *Gloriose Domine!* Sicut corpus vivificatur & inamoratur odorando bonos odores, ita anima, quando corpus odoratur malos odores, habet naturam & proprietatem cogitandi & imaginandi vanitates hujus mundi, & eas contemnendi & lætandi & delectandi se in gloria cœlesti.

4. b. *O Domine DEVS, á quo latificantur & consolantur omnes, qui memorant & cogitant in tua magna Nobilitate!* Nos videmus, quòd fimi, qui sunt res foetida & mali odoris, convertantur in novos flores, qui dant

dant odores valde placentes & valde bonos : igitur, cùm meum corpus fuerit fœtus luxuriæ & fœtoris , quomodo potest esse, quòd non convertatur in corpus placens & amabile gentibus per bona opera ?

5. Adeò est meum corpus fœtidum & corruptum, *Domine*, per opera peccati, quòd anima, quæ est substantia spiritualis, sit tota conspurcata & deturpata per conjunctionem cum ipso : igitur maledictum est corpus , quod per suum fœtorem deturpat & conspurcat animam.

6. Si homo, *Domine*, naribus percipit odores florum vel ambriæ vel pigmentariorum, de eo, quod exit à suo corpore, percipit fœtores valde fœtidos & valde horribiles & immundos: igitur benedictus sis Tu, qui adeò justè punivisti hominem ; quia, sicut ipse se movet ad peccatum per bonos odores, qui veniunt à rebus, quæ non sunt in ipso, ita ipse sentit fœtores & malos odores per immunditias, quæ sunt in suo corpore, & exeunt ab ipso.

7. *Creator Domine cæli & terra & universorum,*

versorum, quæ sunt! Odor ambrae vel balsami vel moschi, quò plus istæ res sunt purificatæ & meliores, eò plus percipitur à longè: igitur cùm Tu fueris crucifixus & mortuus in sancta Civitate Jerusalem, quæ est ad orientem, adeò horribilis & extraneus fuit odor, qui exivit de felle & aceto, quo fuisti potatus in Cruce, quòd ad occidentem sentiatur ab anima cogitante & memorante ipsum.

8. *Pie Domine!* Si odor rosæ rubicundæ movet meum corpus ad peccatum, quomodo potest esse, quòd color ipsius non moveat meam animam ad memorandum & imaginandum gravem Passionem, quam sustinuisti per vulnera & per effusionem sanguinis?

9. *Honorate Domine!* Sicut per odorari malos odores corpus hominis corrumpitur & infirmatur, ita anima hominis sanatur & purificatur & mundatur per contemplationem tuæ gravis & angustiosæ Passionis & Mortis.

10. d. *Domine vere DEVS, qui tuis viribus*

viribus sustines omnes cælos & terras & omnia, quæ sunt in eis ! Perversi luxuriosi, qui portant in suis manibus poma & flores bene olentes, sicut naribus sentiunt odores ipsorum, quare non sentiunt in sua anima foetorem luxuriæ, quam cogitant & imaginantur in suo corde ?

11. In veritate dico Tibi, *Domine*, quòd, si putrefactio & turpitudine, quæ fit in opere luxuriæ, est res foetida ad odorandum & turpis ad videndum & horribilis ad gustandum, multò plús debet esse horribilis & abominabilis intrà animam, quando homo eam imaginatur & cogitat & memorat.

12. Valde miror, *Domine*, quomodo possit esse, quòd cœnum luxuriæ sit res magis foetida sensibus corporalibus, quàm spiritualibus; quia id, quod exit de luxurioso & luxuriosa, est simile in natura sensibus corporis & non sensibus animæ: igitur quare non sunt plús foetida & odibilia animæ opera luxuriæ, quàm corpori ?

13. e. *Liberalis Domine, qui non habes similem nec parem nec socium !* Si cœnum luxuriæ,

xuriæ, quod non est res digna nominari, ita foeteret meæ animæ, sicut foetet meo corpori ad odorandum & gustandum, non cantassem tantum de luxuria, nec laudassem tantum opera ipsius.

14. Quando Principes & alti Barones volunt habere conventus & facere convivia, præparant suas cameras & sua palatia pulchris ornamentis, & ea mundant ab omnibus foeditatibus; sed quid eis prodest, *Domine*, quia, sicut evitant odorari omnes malos odores & videre foeditates, ita appropinquant suam animam ad cogitandum & memorandum foetores & vanitates transitorias hujus mundi?

15. Qui bene velit aspicere, *Domine*, quomodo Principes & homines mundani habeant conventus & faciant convivia, multò plùs videbit res, quæ sunt horribiles & foetentes animæ, quàm quæ sunt placentes corpori; quia totum coenaculum vel palatium, in quo sunt, videbit plenum vanis cogitationibus & vanis operibus & peccatis, & rebus, quæ sunt contrariæ viis, per quas
homo

homo pervenit ad cœlestem gloriam.

16. f. *Divine Domine, qui es splendor & Lumen omnium Beatorum!* Tibi sit gloria & honor omni tempore; quia, quoties homo justus sentit malum odorem latrinarum & sterquiliniorum & cloacarum & aliarum rerum, potest memorare foetores, qui exeunt de suo corpore, qui sunt pejores & horribiliores aliis foetoribus.

17. De corpore putrido bestiae, nec de ulcere paralitici, nec de aqua sentinae exit, *Domine*, tantus foetor, quantus de anima senis luxuriosi & pauperis superbi & divitis invidi; quia illae res non afferunt omnes foetores, sed senex luxuriosus & pauper superbus & dives invidus afferunt secum omnes turpitudines & omnia vitia.

18. Si corpus hominis est foetens & immundum per foetores & per ulcera & tumores, mea anima, *Domine*, est deturpata & foetens in peccato per superbiam & ingritudinem & ignorantiam & inanem gloriam & vanam voluntatem.

19. g. *Virtuose Domine, a quo recipiunt*

omni

vir-

virtutem omnes alia virtutes ! Si foetidi odores sunt corpori occasio corruptionis & consumptionis, vitia sunt occasio foetorum & malorum odorum intellectualium, quos anima intelligit in operibus peccati.

20. Majores foetores, qui sint, *Domine*, sunt in corpore hominis; quia homo est adeo plenus fimo & foetore & putredine, quod per nares & aures & oculos & os & per omnia alia loca inferiora ejiciat res immundas & foetentes: igitur quænam res plus foetet, quam corpus hominis?

21. „Sicut camera, quæ est tota fragrans per moschum vel ambram vel per alios bonos odores, ita, *Domine*, totum meum corpus est infectum per immunditias, quæ sunt in eo, & per mala opera, quæ tractavi tempore præterito.

22. h. *O Domine DEVS*, qui nobilitas & magnificas tuos servos! Corpus tui servi & tui subditi malè assimilatur pomo in odore; quia pomum est boni odoris; quando est in flore, & quando devenit in fructum, & quando est collectum ex arbore, & quando

Vo. II. Li. III. Di. XXV. Cap. CXXVIII. 309
do manducatur, & ita omni tempore pomum est bonum & boni saporis & boni odoris; sed meum corpus fuit foetens & conspurcatum in mea nativitate, & postquam fuit natum & crevit, fuit immundum & foetidum per peccata & immunditias ab ipso exeuntes; & post mortem, quando vermes illud comedent, erit totum in foetore & putrefactione & corruptione.

23. Cúm meum corpus sit ita foetidum & corruptum, injustè sentiunt meæ nares foetores sterquiliniorum & sentinarum plús, quàm foetorem mei corporis; & injustè imaginatur mea anima plús alios foetores, quàm foetores mei corporis, quos non vult cogitare nec imaginari.

24. *O Domine!* Quoties reputavi foetidas multas res, quæ non erant ita foetidæ, sicut ego ipse? & quoties mihi visi sunt boni odores illi, qui sunt foetores? igitur ratione hujus cognosco me ipsum totum plenum foetore, quia res foetida non sentit foetorem sui ipsius, nec foetorem similem suo foetori.

25. i. *Domine vere DEVS, qui es Dominus super omnes Dominos & es honoratus super omnes honorationes!* Omnes odores & foetores, qui sunt in hoc mundo, sunt terminati & inclusi intrà certum terminum: igitur non est ullus foetor sensualis, qui sit adeò extensus per suum spatium, sicut foetor intellectualis hominis peccatoris vitiosi, qui putet esse bonus & plenus virtutibus.

26. Non est ullum vegetabile nec ullum animal, *Domine*, quod adeò extendat suum foetorem, & adeò ampliet terminos ipsius, sicut corpus hominis; quia corpus hominis in sua vita diutiùs foetet, quàm aliud corpus; cùm ferè plùs vivat homo, quàm aliud animal, & quò plùs vivit, eò plus foetoris generat; & post mortem non est ullum corpus adeò foetens, sicut corpus hominis, nec est ullus foetor, qui det adeò magnam corruptionem, sicut foetor ipsius.

27. Cùm ego, *Domine*, foeteam per naturam & per opera peccati, & nullus foetor sit similis foetori hominis peccatoris, valde miror, unde veniat, quòd putem esse bonus

&

Vo. II. Li. III. Dist. XXV. Cap. CXXVIII. 311
& virtuosus, & unde veniat, quòd sim fu-
perbus.

28. K. *Pie Domine, plene dulcedine & mi-
sericordiâ!* Omnem odorationem oportet
esse terminatam in hoc mundo intrâ quan-
tatem loci & temporis; quia odoratus non
habet naturam nec potestatem odorandi in
omni loco nec in omni tempore.

29. Sed in altero sæculo, *Domine, fœ-
tor inferni semper & per omnia loca fen-
tietur à peccatoribus, & nunquam habebit
finem nec terminum.*

30. Tuus subditus & tuus servus Te
orat & Te invocat & precatur, ut ei des
gratiam & adiutorium ad perficiendum alias
Distinctiones ad gloriam & benedictionem

Tui, qui es noster Dominus
DEUS.


DIS-

DISTINC. XXVI.

DE GVSTV.

CAPUT CXXIX.

QVOMODO HOMO GVSTET
dulcia & amara, & quomodo gustus ho-
minis sit terminatus.



Ivine Domine, á quo re-
cipiunt gratiam & bene-
dictionem omnes creatu-
ra! Tuæ sanctitati &
tuæ excellenti nobilita-
ti fiat reverentia & ho-
nor; quia dedisti homi-

ni proprietatem & naturam, per quam gus-
tando sentiat saporos dulces & amaros.

2. *Amorose Domine! Potentia sensitiva*
est amativa & oditiva, cüm homo amet res
dulces & boni saporis ad comedendum, &
odiat res amaros & mali saporis; & similiter
facit

facit potentia rationalis, cui placet, quòd homo det animæ cibos, per quos mundetur à culpis & peccatis.

3. Quando homo, *Domine*, sequitur desiderium & placitum potentia sensitivæ, tunc quærit cibos & potus dulces & boni saporis; &, quando sequitur placitum & desiderium potentia rationalis, tunc dirigitur ad contemplandum & cogitandum in tua gloria & in tua nobilitate.

4. b. *O Domine DEVS, qui places meo placito, & amaris à meo amore!* In palato & in gutture sentit homo victualia, quæ sunt dulcia & sapida ad comedendum & bibendum; & quando evenit, quòd non percipiat saporem in victualibus sapidis, tunc significatur, quòd corpus ipsius non sit ordinatum in sanitate.

5. Sicut corpus hominis sensualiter significat se esse infirmum, quando amat gustare res amaras & mali saporis plús, quàm dulces & boni saporis; ita anima, *Domine*, intellectualiter significat se esse infirmam, quando amat cibos corporales plús, quàm
spi-

spirituales.

6. Sicut gustus sensualis, *Domine*, stat in palato hominis & in cibis sensualibus, quos comedit, ita gustus intellectualis stat in anima & in rebus, quas memorat & cogitat & imaginatur; & sicut gustus sensualis inordinatur & infirmatur, quando recipit cibos contrarios suæ naturæ, ita gustus intellectualis inordinatur, quando anima tractat de rebus contrariis suæ beatitudini.

7. c. *Domine fortis, Domine honorate, Domine amate!* Quando homo invenit saporem & placitum in gustu sensuali, deberet invenire saporem & placitum in gustu intellectuali contemplando & memorando Te, qui ei das saporem & placitum in rebus sensualibus.

8. *Pie Domine!* Sicut palatus hominis est locus, in quo sentitur, quænam res sint dulces, & quænam amaræ, ita cor ipsius est locus, in quo res amantur, & in quo disamantur.

9. Sicut in gutture est placitum & bonus sapor, quando per ipsum transeunt virtualia

Vo. II. Li. III. Di. XXVI. Cap. CXXIX. 3 15
tualia dulcia & sapida, ita, *Domine*, in corde hominis est magna delectatio & placitum quando est plenum amore & cogitationibus & recordationibus sui boni Domini & sui Creatoris & sui Salvatoris.

10. d. *Rex gloriose, potens super omnia regna & super omnes principatus!* Cúm saporibus, quos homo sentit comedendo & bibendo, sint in victualibus sensualibus, & ista, *Domine*, sint adeò malè divisa inter homines, rationabile esset, quòd sentirentur plús amara, quàm dulcia & sapida.

11. Homines divites, *Domine*, habent defectum in palato, quia non potest eis sufficere ad gustandum omnes saporibus & dulcedines, quæ sunt in victualibus, quæ congregant & possident; sed de hominibus pauperibus non est ita, quia plús sufficit eis palatus ad sentiendum famem & sitim propter defectum victualium, quàm ad sentiendum saturitatem per abundantiam ipsorum.

12. *Iuste Domine!* Tot victualia habent homines divites, quòd præ multitudi-

316 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
ne ipsorum tantum comedant & bibant,
quousque inveniant fastidium & displicen-
tiam in illis, in quibus putant invenire
complacentiam & bonum saporem: unde,
quia pauperes habent indigentiam victua-
lium, propterea percipiunt plus dulcedinis
& placiti in cibis macris & vilibus, quàm di-
vites in pinguibus, delicatis & sapidis.

13. e. *O sancta perdurabilis Paternitas!*
O sancta infinita Filiatio! O sancta aeterna
Processio! Tantum saporem & placitum in-
veniunt homines in gustando victualia dul-
cia & sapida, quòd fere totum tempus suæ
vitæ expendant & consumant, ut possint
habere abundantiam ipsorum ad comedend-
um & bibendum.

14. „Cùm tuus servus & tuus subditus,
„*Domine*, habeat fere quadraginta annos &
„fere in omnibus eis fuerit delectatus in
„victualibus sensualibus plus, quàm in in-
„tellectualibus; si Tibi placeat prolongare
„suam vitam, petit à Te gratiam, ut ei des
„percipere majus placitum & majorem dul-
„cedinem in intellectualibus, quàm in sen-
„sualibus.

„fualibus.

15. Dulcedines & placita potentia^e sensitivæ, *Domine*, sunt propinqua gustui sensuali, & remota à gustu intellectuali, & dulcedines & placita potentia^e rationalis sunt propinqua gustui intellectuali, & remota à gustu sensuali; & propterea peto à Te gratiam, ut me removeas à dulcedinibus & placitis sensualibus, & me appropinques dulcedinibus & placitis intellectualibus.

16. f. *Suavis Domine, plene misericordiæ & pietate!* Benedictus sis Tu, qui voluisti gustare & percipere amaritudines hujus mundi; quoniam voluisti esse pauper & carere victualibus dulcibus & sapidis ad comedendum & bibendum.

17. Tu, *Domine*, in tua Passione fuisti potatus rebus amaris, & gustasti graves pœnas & ignominias & angustiosam mortem; & omnes istas amaritudines voluisti perferre & sustinere pro amore nostri, ut omnes sciremus quasnâ amaritudines & tribulationes oportuerit tuum corpus sustinere, ut liberaremur à gravibus amaritudinibus infernalibus.

fernalibus.

18. Licet res, quas Tu, *Domine*, gustasti pro amore nostri, essent amaræ & graves, tamen fuerunt Tibi valde dulces & placentes ratione magni amoris, quem habebas erga tuum populum: igitur secundum dulcedinem & placitum, quod habuisti gustando res graves & amaras, esset rationabile, quod nos haberemus placitum in gustando & sentiendo amaritudines hujus mundi, ut possemus dare laudem de tua sancta Passione.

19. g. *Vere Domine, à quo descendunt & veniunt omnes glorie & omnes beatitudines!* Sicut acus per naturam vertitur ad septentrionem, dum sit tacta à magnete, ita oportet, quod tuus servus se vertat ad amandum & laudandum suum Dominum DEUM & ad serviendum ei; quoniam pro suo amore voluit in hoc mundo sustinere graves dolores & graves passiones.

20. *Humilis Domine!* Quando homines gustant dulcia victualia & magna placita hujus mundi deberent esse memores amoris

&

& gratiæ, quam nobis facis; & quando gustant amaritudines & dolores, deberent esse memores amaritudinum & dolorum, quos sustinuiſti in hoc mundo.

21. Lupi & bestię sylvestres, *Domine*, quia frequenter carent carne recente, inveniunt bonum saporem in carne putrida & foetida, quam comedunt; & similiter accidit hominibus peccatoribus, quia per defectum ciborum spiritualium, quibus caret sua anima, delectantur in sensualibus, qui sunt immundi & viles, quando vitiosè possidentur.

22. h. *O Domine sapiens! O Domine virtuose! O Domine juste!* Sicut dedisti meo orinaturam & proprietatem sentiendi dulcedines & sapes victualium, ita peto à Te gratiam, ut meo cordi des & appropries naturam sentiendi amaritudinem & displicentiam in gustatione bonorum saporum; quia per magnum placitum, quod meum os invenit in eis, meum falsum cor obliviscitur tuæ Bonitatis & magnæ gratiæ, quam nobis fecisti.

23. Quo-

23. Quoniam Tu, *Domine*, in morte gustasti & deglutivisti amaritudines pro amore mei & aliorum peccatorum, „peto à Te gratiam, ut mihi concedas gustare mortem pro amore Tui, quia nihil potest in hoc mundo gustari in majori amaritudine, quàm mors.

24. Sicut anima spiritualiter gustat passionem & dolorem, quando separatur à corpore, ita, *Domine*, quando vadit ad tuam gloriam, habet magnam dulcedinem & magnum placitum per hoc, quòd fit expedita à corpore; sed anima, quæ vadit ad perditionem, licèt habeat magnam displicentiam de morte, quando separatur à corpore, tamen multò majorem eam habet, quando sentit poenas infernales.

25. i. *Virtuose Domine, sancte super omnes sanctitates, honorate super omnes honorationes!* Sicut gustus est terminatus in ore hominis, ita esset rationabile, quòd esset terminatus in corde ipsius; quia, quando venter est plenus, & os & palatum nolunt ultra gustare, esset rationabile, quòd cor cessaret

cessaret à desiderando saporés & placita victualium; sed cor facit oppositum; quia quantumcunque satiatus sit homo, adhuc desiderat plus comedere & bibere.

26. Quia termini gustus sunt in homine terminati intrà parvum spatium loci & temporis, ideo, *Domine*, homines divites habentes abundantiam victualium volunt ampliare & extendere ipsos; & propterea volunt plus comedere & bibere, quàm suus venter possit portare & recipere; & quantum volunt ampliare & extendere terminos gustus per gulam, tantum ipsos restringunt, eò quòd infirment suum corpus nimio esu & potu, & postea non possunt percipere tantum saporém in hoc, quod comedunt & bibunt, quantum perciperent, si tantum non comederent & biberent.

27. Et quando evenit, *Domine*, quòd debilitaverint & destruxerint suum gustum per nimium comedere & bibere, miscent victualia adinvicem, ut faciant diversitates ipsorum, & putant invenire saporés, quos perdiderunt præ nimietate cibi & potus, quæ
X
fuit

322 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
fuit eis occasio perdendi sapores & placita
in victualibus.

28. K. *O Domine DEVS, qui diri-*
gis tuos benevolos in gloriam paradisi, & bea-
tificas eos in ipsa! Qui arbitraretur & per-
penderet brevitatem vitæ, quâ homo vivit,
& brevitatem spatii, in quo sentit placitum
cibi & potus, & brevitatem temporis, quo
ille bonus sapor durat, non esset adeò vorax
& gulosus propter placitum, quod invenit
comedendo & bibendo.

29. *Misericors Domine! Primum, quod*
gustavi in hoc mundo, fuit lac, & ultimum,
quod gustabo, erit mors: „igitur placeat Ti-
„bi, quòd, sicut primus terminus mei gustus
„fuit in lacte, quod gustavi ad vivificandum
„corpus, ita ultimus terminus ipsius sit in
„sanguine exeunte de meo corpore morien-
„do pro tuo amore dando laudem de tua
„Bonitate.

30. Tu, *Domine*, sis laudatus & bene-
dictus, qui terminasti gustum hominum di-
vinitum intrà breviorē saporem & intrà mi-
nus placitum, quàm gustum hominum pau-
perum;

Vo. II. Li. III. Di. XXVI. Cap. CXXIX. 323
perum ; quia, sicut gustus divitum turbatur
& inordinatur per nimiam abundantiam
divitiarum & per nimiam quietem corpo-
ralem, ita gustus pauperum dirigitur & or-
dinatur per defectum divitiarum & per la-
bores corporales : igitur benedictus sis, *Do-
mine*, quia perfecta est ista Distinctio ad
gloriam Tui, qui es noster Dominus
DEUS.

DIS-




DISTINC. XXVII.

DE TACTV.

CAPUT CXXX.

QVOMODO HOMO SENTIAT
Calorem & Frigus.

1.
a.



DEVS aeternae, infinite,
excellens in gloria & no-
bilitate & honoratione!
Tuo alto Dominio fiat,
Domine, reverentia & ho-
nor omni tempore; quia

per hoc, quòd composueris corpus huma-
num ex quatuor elementis, sunt homines
sensibiles caloris & frigoris; & benedictus
sis Tu, quia homines naturaliter in sua ju-
ventute sunt magis sensibiles caloris, quàm
in sua senectute.

2. *Gloriose Domine!* Quia calor & fri-
gus sunt qualitates contrariae, & quaelibet
earum

Vo. II. Li. III. Di. XXVII. Cap. CXXX. 325
earum secundum cursum naturalem destruit
aliam, in quantum potest; propterea sunt
homines sensibiles caloris in uno tempore
& frigoris in alio, & secundum quod sunt
induti, sunt plus vel minus sensibiles calo-
ris vel frigoris.

3. Igitur, quia corpus hominis, *Domine*,
est subjectum, in quo pugnant duæ qualita-
tes activæ, & per istam pugnam est homo
sensibilis passionis & laboris; propterea oportet,
quod homo, quando sentit calorem vel
frigus, cogitet & memoret, quare suum cor-
pus sit subditum ad sustinendam poenam
per pugnam caloris & frigoris.

4. b. *O Domine DEVS, qui es principium omnium principiorum & es aternus sine omni defectu!* In hoc, quod amor det homini sensationem caloris, significatur, quod amor & calor sint res similes & concordantes in natura; quia, quoties cor hominis movetur ad ferventem amorem, corpus sentit calorem: igitur per contrarium significatur, quod frigus & privatio amoris habeant aliquam convenientiam; quia, in quantum cor

ho-

hominis perdit amorem, in tantum corpus perdit suum calorem.

5. In concordantia, quæ est inter amorem & calorem, significatur, *Domine*, quòd amor & calor sint in natura & proprietate propinquiores vitæ, quàm morti; & quòd privatio amoris & frigiditas sint in natura & proprietate propinquiores morti, quàm vitæ.

6. Unde benedictus sis, *Domine*, quia per sensationem amoris & caloris sentit homo vitam corporalem, & per privationem amoris & absentiam caloris sentit mortem, & ex his sensibilitatibus corporalibus naturalibus potest homo se mutare ad sensibilitates intellectuales & spirituales, & potest videre & scire, quòd anima vivat per amare Te, & moriatur in peccato per privationem amoris.

7. c. *Domine vere DEVS, qui es dignus omnibus honorationibus & omnibus amoribus!* Principalius membrum, in quo homo sentit amorem, est cor; & principalior locus, in quo stat calor in homine, est ipsum cor; &

prop-

propterea est convenientia inter amorem & calorem; & omnia alia membra, quò remota sunt à corde, eò plús carent calore, & quò plús carent calore, eò propinquiora sunt frigori, & quò propinquiora sunt frigori, eò propinquiora sunt morti.

8. *Amorose Domine!* A corde venit toti corpori naturalis sensibilitas caloris; quia cor est primum membrum, in quo calor incipit, & ultimum, in quo desinit; & ideo frigus habet majorem potestatem in omnia alia membra, quàm in cor ratione magni caloris, qui est in eo.

9. Benedicta sit, *Domine*, tua magna Sapiencia; quia per hoc, quòd cor hominis fit plús sensibile amoris & caloris, quàm ullum aliorum membrorum, placuit Tibi ipsum esse cameram & palatium & castellum & civitatem, in qua homo Te vellet & timeret & amaret.

10. d. *O pie Domine, propter quem mei oculi plorant & meum cor est in amore!* Sicut per absentiam solis sentit homo plus frigoris, quàm caloris, ita per absentiam amoris
sentit

328 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
sentit homo in suo corde privationem tuæ
recordationis & honorationis & laudis; quia,
dum amor in eo deficit, deficit etiam con-
templatio & cogitatio & memoria Tui.

11. Sicut per hoc, quòd homo sit pro-
pe nivem & procul ab igne, est plus sensi-
bilis frigoris, quàm caloris, ita, *Domine*, per
hoc, quòd homo approximet suam animam
& suos sensus spirituales plus rebus tempo-
ralibus, quàm æternis, accedit plus ad sen-
tiendum perdurabilia frigora in inferno,
quàm ad sentiendum perdurabiles amores
in gloria.

12. *Humilis Domine!* Melior calor,
quem homo possit sentire in suo corde, est
calor amoris sui boni Domini & sui Crea-
toris & Salvatoris; quia calor veniens à vero
amore facit hominem memorare & laudare
& servire & honorare suum amatorem &
suum benefactorem & suum consiliatorem
& suum adiutorem.

13. e. *Humilis Domine, à quo omnes amo-
res & omnes gloriae & omnia placita descen-
dunt!* Sicut corpus est sensibile caloris &
fri-

Vo. II. Li. III. Di. XXVII. Cap. CXXX. 329
frigoris, quia sequitur tempus æstivum & hyemale, in quo generantur calores & frigora; ita, quando anima sequitur cogitationes & recordationes de suo Domino & de suo Creatore & de suo Salvatore, est sensibilis amoris & dulcedinis & placiti & omnis benevolentia.

14. Totum meum corpus sentio, *Domine*, esse captivum caloris & frigoris, quia, in quacunque hora & in quocunque tempore sit, semper sentit calorem vel frigus: unde, sicut corpus est captivum & subditum ad sentiendum calorem & frigus, ita placeat Tibi, quòd mea anima sit serva & captiva omni horâ ad sentiendum amorem & dulcedinem & placitum de suo Domino & de suo Amatore.

15. A calore & frigore, quæ sentiuntur in hoc mundo, potest homo, *Domine*, facilè se defendere; sed à calore & frigore alterius sæculi nemo poterit se defendere; quia, qui sentient calorem, non invenient aerem nec ventum nec umbram, quibus possint refrigerari; & qui sentient frigus,

NON

non habebunt vestes, quibus se vestiant, nec ignem, quo se calefaciant: igitur beati sunt omnes, qui per istam sensibilitatem caloris & frigoris, quam habent in hoc mundo, timent calorem & frigus alterius sæculi.

16. f. *O Domine magne super omnes magnitudines, honorate super omnes honores: Si res temporales transitoria parvi valoris & parvæ utilitatis faciunt corda hominum sentire fervorem & amorem & ardorem, quanto plus res spirituales perdurabiles plenæ benedictione & gratiâ deberent eis dare fervorem & amorem & ardorem?*

17. Illi homines, qui in suo corde sentiunt amorem & fervorem possidendi bona temporalia, *Domine*, sequuntur naturam & proprietatem potentia sensitivæ, quæ eos facit sentire illas res, quæ sunt ipsi propinquæ in proprietate & natura; & illi, qui sentiunt in suo corde amorem & fervorem & ardorem possidendi bona coelestia in tua gloria, sequuntur naturam & proprietatem potentia rationalis, quæ eos facit sentire illas res, quæ sunt ei propinquæ in natura.

18. Igitur,

18. Igitur, cum istæ res temporales, *Domine*, sint prope privationem & procul ab *esse*, per hoc, quòd sint finitæ & transitoria, & res æternæ sint prope *esse* & procul à privatione per hoc, quòd sint perdurabiles; maledicti sunt omnes, qui in suo corde sentiunt majorem fervorem erga res temporales, quàm erga æternas.

19. g. *Æterne Domine*, qui es *siné principio & fine*! Esetne aliqua res habens amorem ad dandum vel vendendum vel commodandum vel commendandum, quæ mihi de ipso daret vel venderet vel commoderet vel commendaret? Nam ex defectu amoris sentio totum meum cor frigidum & carens devotione & dulcedine & placito, & ob frigiditatem ipsius sentio totum meum corpus frigidum & privatum calore tuæ *Passionis*.

20. Sicut homo frigefactus vadit ad ignem, ut se calefaciat, ita, *Domine*, quando sum frigefactus in tuo amore per opera peccati, multoties vado ad tuum Altare, ut me calefaciam in præsentia Crucis, & puto

puto ibi meum cor calefacere amore; sed, quid mihi prodest, si habeo in eo illas res, quæ ipsum in frigidant & privant amore?

21. Quando terra sentit magnum calorem solis, tota finditur & aperitur ad recipiendum ipsum: igitur quomodo potest esse, *Domine*, quòd ego, qui sum homo & res viva, quando sum ante Altare & video Crucem, quæ mihi repræsentat tuam gravem Passionem & magnum fervorem & calorem, quem habuisti ad recreandum totum humanum genus, meum cor non findatur & aperiatur ad recipiendum calorem amoris & fervoris? & quomodo potest esse, quòd mei oculi non decurrant lacrymis, & mea facies non rubeat, & mutet colorem præ abundantia amoris & verecundiæ?

22. h. *O Domine DEVS*, in quo est omnis gloria & omnis virtus & omnis benedictio! Sicut frigus hyemale restringit terram & plantas, ita per contrarium magnus amor & magnus fervor, quem habuisti in Cruce erga nos, aperuit tuas pulpas & fecit tuum corpus effundere suum pretiosum

san-

sanguinem, & tuos oculos misericordes lacrymas.

23. Homines pauperes malè vestiti in hyeme, quando habent magnum frigus, quia non habent ignem, eunt ad quærendum solem, in quo se calefaciant; & similiter accidit tuo seruo, *Domine*, quia, quando meum cor friget in amore per hoc, quòd sit occupatum in delectationibus hujus mundi, vado ad calefaciendum ipsum in præsentia tui amoris cogitando & memorando tuam altam Bonitatem & tuum honoratum Dominium.

24. *Amorose Domine!* Si homines habitantes in partibus meridionalibus sunt nigri per magnam vim caloris solis, magna ratio esset, quòd homines contemplantes tuum magnum amorem essent lacrymosi & devoti & inamorati de Te & per Te, quia multò major est amor, qui est in Te, quàm calor solis.

25. i. *Domine vere DEVS, qui habes placitum, quando homo Te memorat & Te orat & ad Te clamat!* Quando homo extrahit

334 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
trahit cor à bestia mortua, sentit ipsum esse
calidum: igitur, cùm ego sim bestia viva, &
calor sit propinquior vitæ, quàm morti, val-
de miror, quòd non sentiam meum cor ca-
lesfactum in tuo amore.

26. Præ magno frigore accidit multo-
ties, *Domine*, quòd digiti manuum & pe-
dum hominis crepent, & exeat sanguis, &
oculi ipsius decurrant lacrymis; sed tuum
benedictum Corpus fuit adeò calefactum
amore cordis, quòd se aperuerit totum ad
effundendum sanguinem & lacrymas.

27. Homines morientes præ senectute,
Domine, moriuntur per defectum ca-
loris naturalis & per excessum frigoris; &
ideo tuus servus & tuus subditus, si Tibi
placeret, non vellet mori tali morte, imò
vellet mori præ calore amoris, quia Tu
voluisti mori tali morte.

28. K. *O patiens Domine, plene miseri-*
cordiâ & remissionibus! Præ magno frigo-
re & præ magno pavore multoties tremui:
igitur, cùm multoties hoc ita fuerit, quando
erit illa dies & hora, in qua meum corpus
tre-

tremet præ magno calore amoris & præ magno placito & desiderio moriendi pro suo Creatore & suo Salvatore ?

29. *O Domine!* Quoties exiverunt à meis oculis lacrymæ præ vento & frigore, à quibus tangebantur? igitur, quando tanget amor meum cor, ut faciat exire à meis oculis ploratus, & à meo ore verba in tuam laudem ?

30. *Misericors Domine!* Marmor non indiget frigefieri, quia jam est frigidum per suam naturam; sed cor tui subditi, quia accidentaliter est frigidum, indiget calefieri à Te tuo amore, ut omnia mea opera sint ad gloriam & laudem & honorem Tui, qui es noster Dominus DEUS.

CAPUT CXXXI.

QUOMODO HOMO SIT SENSIBILIS FAMIS & SITIS.

1. **D**EVS pie, plene misericordiâ & gratiâ! Quia in corpore hominis sunt quatuor

quatuor qualitates contrariantes sibi invicem, propterea est homo sensibilis famis & sitis; quoniam, sicut homo per verba demonstrat suos languores & suos labores, ita corpus sentiendo famem & sitim demonstrat poenas, quas sentit per contrarietates qualitatatum.

2. *Gloriose Domine!* Sicut homo dives habet scientiam & industriam dandi remedium suo corpori comedendo & bibendo, quoties sua potentia vegetativa ei dat sensibilitatem famis & sitis, ita deberet habere scientiam & industriam dandi pauperibus de suis divitiis, quoties eos videt sensibiles famis & sitis, ut ipsos alleviaret à poenis, quas sentiunt per potentiam vegetabilem, quæ non habet, qui det quatuor qualitatibus, quæ faciunt eos sentire famem & sitim.

3. Adeò est magna, *Domine*, cupiditas & avaritia, quam homines habent propter timorem famis & sitis, quòd abscondant divitias, & eas nolint dare pauperibus, qui moriuntur præ fame & siti, dum divites
dis-

dissipant & destruunt sua victualia in horreis & cellis, in quibus corrumpuntur & putrefiunt & destruuntur.

4. *b. Æterne Domine siné omni fine & siné omni principio!* Fere omnes homines hujus mundi laborant in congregando divitias, ne sentiant famem & sitim: igitur benedictus sis Tu, qui, quando venisti in hunc mundum, voluisti habere paupertatem, ut Te invenirent fames & sitis & multi alii labores, quos fugiunt homines habentes divitias temporales.

5. *Humilis Domine!* Quando homines mundani sunt sensibiles famis & sitis, cogitant & memorant res, per quas possint sibi succurrere: igitur benedictus sis Tu, qui, quando in hoc mundo sustinebas famem & sitim, plus memorabas & desiderabas salvationem tui populi, quam fugere à poena, qua in sustinebas esuriendo & sitiendo.

6. Homines divites, quando sentiunt famem vel sitim, statim jubent aperiri sua proruptuaria vel cellaria, ut citò comedant vel bibant, vel ponunt manum in bursam,

Y

ut

ut emant illa victualia, quibus indigent, & citò præparant ea, ut citò possint extinguere famem & sitim; sed Tu, *Domine*, quando eras in hoc mundo, & sentiebas famem & sitim, non habebas promptuaria nec cellaria nec bursam, in qua portares denarios, quia eras pauper omnibus bonis temporalibus, & expectabas, quòd aliqua persona Tibi daret aliquid ad comedendum & bibendum.

7. c. *O Domine DEVS, qui beatis Confessoribus promittis gloriam paradisi! Quamvis mare sit plenum aquâ & omnia flumina de eo exeant, tamen multoties marinarii navigantes sentiunt magnam sitim ob carentiam aquæ; & similiter, quamvis homines divites sint granaria, in quibus stant divitiæ, & pauperes eant inter ipsos & ipsorum divitias, tamen moriuntur præ fame & siti ob carentiam divitiarum.*

8. Dum homines gulosi & voraces habent sua victualia in mensa, & eis se replent comedendo & bibendo, pauperes clamant & lamentantur ad portas ipsorum præ fame

fame & siti, quas sustinent; & non adeò clamant & lamentantur, *Domine*, quòd audiantur ab illis.

9. *Vere Domine!* Homines mundani, quamprimùm sentiunt famem vel sitim statim inquirunt suam saturitatem in rebus temporalibus, & habent in oblivione cœlestem gloriam; sed non est ita de beatis religiosis, qui pro tuo amore volunt sentire famem & sitim; quia, quò plús eas sentiunt, eò plús memorant tuam gloriam, & contemnunt labores temporales.

10. d. *O Domine vere DEVS, qui recipis nostras orationes & nostras preces!* Ad effugiendum magnam famem vel sitim non dubitant homines divites dare campos nec vineas nec hortos nec denarios nec thesauros nec ullas res; sed pro necessitatibus animæ fere omnes divitias & possessiones dubitant dare.

11. *Liber Domine, plene gratiâ!* Non videtur mihi rationabile, quòd ad evitandum famem & sitim corporales homo debeat dare magna dona, quia facilè veniunt

&

& facilè transeunt : igitur, quomodo potest esse, quòd ad evitandum ipsas dentur tot dona & tot nobiles res?

12. *Misericors Domine!* Multò delectabilior & amorosior est illa sensatio, quæ sentitur in potentia rationali per cogitationem & pietatem de fame & siti proximi, quàm illa, quæ sentitur in potentia sensitiva de propria fame & siti; quia sensatio, quam homo habet de fame & siti sui proximi in potentia rationali, est plena amore & pietate & charitate; & sensatio, quam habet in potentia sensitiva de propria fame & siti, est plena gulâ & intemperantiâ.

13. e. *O Domine DEVS, qui scis omnia, quæcunque fuerunt, sunt & erunt!* Quoties homines sentiunt famem & sitim, toties deberent esse memores tuæ excellentis Bonitatis & suæ magnæ miseriæ, quia eas sentiunt ratione tuæ magnæ Justitiæ & suæ magnæ culpæ.

14. *Potens Domine!* Quando homo habet magnam famem vel sitim, statim quærat, quomodo possit comedere vel bibere,
&

& non desistit, quousque complevit suum desiderium: igitur, quando ipse sentit suam animam in peccato & indigentem virtutibus, quomodo potest quiescere & non quærere in quantum potest, quomodo possit acquirere suæ animæ tales res, quibus indiget?

15. Multò major sollicitudo & labor requiritur, *Domine*, ad inquirendum & inveniendum illas res, quibus homo succurrit necessitatibus corporis, quàm illas res, quibus potest succurrere necessitatibus animæ; quia adeò est grave invenire necessaria corpori, quòd multi non possint ea habere; sed necessaria animæ adeò faciliter inveniri possunt, quòd nemo sit, qui non possit ea habere.

16. f. *O Domine, venia Largitor, virtuose, abundans omnibus bonis!* Quia dedisti tuo servo abundantiam victualium, & ipse fuit amator delectationum, quæ sentiuntur comedendo & bibendo; propterea non sensit in hoc sæculo famem nec sitim, secundùm quod meretur: igitur, quia ipse est dignus
sui-

sustinere labores, proponit imposteriorum sustinere famem & sitim, per quas satisfaciat animæ, quæ habuit multum laborem per saturitatem sui ventris.

17. Multoties evenit, quòd propter pavorem ascendant homines ad fortia castella & propter famem descendant ad loca plana, & propter sitim eant ad quærendum fontes & flumina: igitur quare ego, *Domine*, propter pavorem non elevo meas considerationes & meas cogitationes & mea desideria cum fiducia & firma spe ad tuam excellentem Bonitatem? & quare ratione famis non succurro pauperibus cum bonis, quæ mihi commendasti? & quare ratione sitis non sum memor tui sancti fontis Misericordiæ?

18. Qui vult fugere à fame & siti & à laboribus, qui per eas veniunt, contempletur, *Domine*, ferventer & animosè in tuo honorato Dominio & in tua sancta Passione; quia in eis inveniet tantam dulcedinem & tantum placitum, quòd facile poterit sufferre omnes amaritudines & labores, qui veniunt

veniunt per famem & sitim.

19. g. *O Domine DEVS, qui respicis nos piis oculis plenis Misericordiâ!* Sicut homo æstuans & valde sitiens delectatur & fatiatur, quando bibit in pulchro fonte pleno aquâ frigidâ, dulci & sapidâ, ita sentio, quòd mea anima delectetur & satiatur & vivificetur quando cor contemplatur in tua Passione, & mei oculi plorant mea peccata.

20. *Amorose Domine!* Sicut homo famelicus festinat, quando comedit, & facit magnas buccellas ratione magnæ famis, quam sentit, ita tuus servus adeò magnum sentit desiderium moriendi ad dandum laudem de Te, „quòd nocte & die festinet & „conetur quantum potest dare perfectionem „huic *Libro Contemplationis*; ut, postquam „ipsum perfecerit, eat ad effundendum suum „sanguinem & suas lacrymas pro amore „Tui in sancta terra, in qua Tu effudisti „tuum pretiosum sanguinem & tuas misericordes lacrymas.

21. „*O Domine Adjutor!* Donec iste „*Liber*

„*Liber Contemplationis* sit perfectus, tuus
 „servus & tuus benevolus non potero ire
 „in terram Saracenorum ad dandum lau-
 „dem de tuo glorioso Nomine; quia adeò
 „sum occupatus per hoc Opus, quod facio
 „ad honorem Tui, quòd in aliis rebus non
 „possim intendere: quare peto à Te grati-
 „am, *Domine*, ut me adjuves taliter, quòd
 „in brevi ipsum perficiam, ut citò possim
 „ire ad recipiendum martyrium pro tuo
 „amore, si Tibi placeat, quòd sim dignus
 „ipso.

22. h. *Domine vere DEVS, qui visitas
 & consolaris homines contemplantes tuam
 Bonitatem!* Tu habuisti valde magnam fa-
 mem in deserto, in quo jejunasti quadra-
 ginta diebus; & habuisti valde magnam si-
 tim in Cruce, quando pro nobis peccato-
 ribus moriebaris; & cùm Tu des vitam om-
 nibus animalibus & plantis, non fuit, qui in
 deserto Te visitaret, & Tibi offerret aliquid
 ad comedendum, nec in morte habuisti,
 qui Tibi afferret aquam ad bibendum.

23. Tuâ sanctâ Carne cibasti, *Domine*,

hu-

humanum genus, & tuo pretioso Sanguine ipsum potasti, quando recreasti totum mundum: igitur, cum Tu, *Domine*, nos cibaveris & potaveris adeò pretiosis rebus, valde miror, quomodo pauperes pro tuo amore petentes non inveniant, qui eos cibet & potet carne & vino & aliis rebus, quibus indigent.

24. Valde magnum placitum haberem, *Domine*, si homines sentirent adeò magnam famem & sitim Panis & Vini spiritualis, quæ sunt tua Caro & tuus Sanguis sacrati super Altare, sicut habent famem & sitim panis & vini materialis, quia, si ita esset, haberent majus placitum in saturitate animæ, quàm in saturitate corporis.

25. i. *O Domine DEVS, qui Te vindicas ab omnibus, qui Tibi faciunt injuriam!* Homines divites, quando sunt satiati cibo & potu, & habent suum ventrem plenum, plerumque obliviscuntur illius, qui eos satia-
vit.

26. *O Domine!* Quàm beati sunt pauperes, qui, quando sentiunt famem & sitim,

346 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
tim, sunt memores Tui & tuarum honora-
tionum, & qui, quando eos fatias, agunt
Tibi gratias, & memorant tuam magnam
Largitatem & tuam dulcem Misericordi-
am!

27. Valde miseri mihi videntur, *Do-
mine*, Reges & Principes & magni Domini,
qui sentiunt famem & sitim suorum equo-
rum & suorum accipitrum & falconum &
canum plús, quàm pauperum, qui stant ad
portas palatiorum, & pulsant, & non est, qui
eis aperiat, & extendunt suas manus, ut re-
cipiant eleemosynas, & non est, qui eis ali-
quid det.

28. K. *Virtuose Domine, laudabilis, hono-
rabilis in omnibus honorationibus, amabilis
ab omnibus amoribus!* Tuus subditus filius
tuæ ancillæ, quando habet famem & sitim,
solet comedere & bibere quousque sit fa-
tius: igitur, cùm ipse habeat hanc consue-
tudinem, quomodo potest esse adeò ingra-
tus, quòd postea non agat gratias illi Do-
mino, qui eum cibavit & potavit?

29. Mali divites, quando sentiunt fa-
mem

mem & sitim, feligunt panes albos & generosa vina & pingues carnes & bene conditas, & comedunt & bibunt, quantum suus venter potest capere; sed pauperibus esurientibus & sitientibus non feligunt victualia meliora, imò pejora, & quæ fere nihil valent.

30. Sicut meum corpus, *Domine*, multoties fuit fatiatum victualibus corporalibus, quæ fere nihil valent, ita peto à Te gratiam, ut imposterum sentiat famem & sitim, & mea anima fatietur cogitando, imaginando & memorando laudem & gloriam & benedictionem sui honorati Domini DEI.

CAPUT CXXXII.

QVOMODO HOMO SIT SENSIBILIS Sanitatis & Infirmittatis.

I. **O** *JESV* *Christe, Domine gloria, virtutis & omnis honorationis & nobilitatis!* Sicut homo sentit suum corpus sanum

num & alacre, quando quinque sensus sensuales temperatè sentiunt in suo corpore, ita sentit suam animam sanam & mundatam ab omni peccato, quando sui quinque sensus intellectuales sunt ordinati & directi in ipsa.

2. Quando quinque sensus corporales, *Domine*, sunt in homine inordinati & intemperati, tunc se sentit corpus infirmum & grave; & quando quinque sensus spirituales sunt inordinati & indirecti in tuo amore & servitio, tunc se sentit anima infirmam in peccatis & culpis.

3. Quia sensus spirituales, *Domine*, se movent ad inordinationem, & inveniunt plura impedimenta, quàm sensus corporales; propterea frequentius cadit anima in infirmitatem, quàm corpus: igitur, cum infirmitas animæ sit multò gravior & periculosior, & frequentius veniat, quàm infirmitas corporis, valde miror de gentibus, quomodo possint plus sentire infirmitatem corporis, quàm animæ.

4. b. *O Rex Regum, in quo omnis virtus*

& omnis sanitas invenitur ! Corpus hominis infirmatur per nimis multum vel per nimis parum comedere & bibere, vel per vulnera vel per dolores vel per pavores vel per inordinationes quatuor qualitatum & quatuor humorum.

5. Sicut humanum corpus, *Domine*, habet multas occasiones corporales & sensuales, ratione quarum infirmatur, ita anima rationalis habet multas occasiones spirituales & intellectuales, ratione quarum infirmatur; quia per iram & invidiam & avaritiam & ignorantiam, vel per nimis cogitare vel imaginari vel memorare cadit in peccatum & culpam.

6. Sicut corpus & anima cadunt in infirmitatem per res contrarias ordinationi, ita recuperant sanitatem per res contrarias illis, per quas cadunt in infirmitatem: igitur, cum anima tui servi, *Domine*, sit in gravi infirmitate peccatorum, peto à Te gratiam, ut eam sanes & mundes per res contrarias illis, per quas est infirmata.

7. c. O *Domine DEVS*, qui illuminas
Sanctos

Sanctos paradisi & eos glorificas in tua Virtute! Sicut sanitas corporis stat in potentia vegetabili, ita stat in ea infirmitas & destructio ipsius; & sicut sanitas animæ stat in potentia rationali, ita stat in ea infirmitas & culpa ipsius.

8. *Misericors Domine!* Quando sentio meam potentiam rationalem dominari & possidere potentiam sensitivam, sentio meam animam sanam & directam; sed quando sentio meam potentiam sensitivam dominari & possidere potentiam rationalem, sentio meam animam indirectam & vanam & infirmam.

9. *O JESU Christe Domine!* Quoniam per tuum tactum sanabantur & mundabantur omnes infirmi, quos tangebās, & qui Te tangebant; tuus subditus, qui est graviter infirmus in sua anima, cum ipsa Te tangit memorando, cogitando & amando, ut eam sanes & mundes à suis gravibus peccatis & culpis.

10. d. *Domine laudate, Domine amate, Domine volite ab omnibus populis!* Corpus

hominis est multò plús sensible suæ infirmitatis, quando est infirmum, quàm sit sensible suæ sanitatis, quando est sanum.

11. Cúm corpus hominis, *Domine*, secundúm suam naturam plús sentiat suam infirmitatem, quàm suam sanitatem, per hoc significatur suus defectus & sua vilitas : igitur, cúm anima secundúm suam naturam sit æquè parata ad sentiendum suam sanitatem sicut suam infirmitatem, & suam infirmitatem sicut suam sanitatem, per hoc significatur, quòd anima sit melioris & perfectioris naturæ, quàm corpus.

12. Quia corpus est plús sensible infirmitatis, quàm sanitatis, *Domine*, & se facit Dominum animæ in hominibus peccatoribus, propterea ipsi plús sentiunt infirmitatem corporis, quàm animæ, & plús placet eis sanitas corporalis, quàm spiritalis.

13. e. *O Domine DEVS, cui detur omnis gloria & omnis laus & omnis honoratio!*
Quando humanum corpus incipit infirmari, non dat homini sensibilitatem nec cognitionem

nitentiam de principio suæ infirmitatis, & eam ipsi dat, quando jam est infirmum; sed anima facit oppositum; quia, quando incipit infirmari, statim conscientia hominem remordet, & quando diu perseveravit in peccato, excœcat oculos conscientia, ne sentiat homo infirmitatem ipsius.

14. Apud Te, *Domine*, vitupero meum corpus, quod est substantia corporalis visibilis; quia mihi occultat suam infirmitatem, quæ generatur & formatur in meo ventre; & apud Te laudo meam animam, quæ mihi demonstrat & manifestat suam infirmitatem, quamvis sit substantia spiritualis invisibilis.

15. *O Domine!* Quàm miser est homo, qui suam animam habet infirmam, ut corpus sit sanum, vel habet suum corpus infirmum per infirmitatem animæ! & quàm beatus est, qui habet suum corpus infirmum per sanitatem animæ, vel habet suum corpus sanum, ut anima sit sana!

16. f. *O Domine DEVS, qui amaris & honoraris ab omnibus populis! Quotiescun-*
que

que ego sentio meum corpus in sanitate & meam animam in infirmitate peccati, oportet, quòd sentiam timorem & spem; quia per timorem ero memor tuæ Justitiæ, & per spem ero memor tuæ Misericordiæ, & quò plus ero memor earum, eò majorem occasionem habebit mea anima, ut sanetur à sua infirmitate.

17. *O Domine amorose!* Quando sentio meam animam sanam & mundam à peccato, & sentio meum corpus infirmum, sentio in mea anima memoriam donorum & gratiarum, quas mihi fecisti, & erratorum, quæ feci contra Te: igitur, quando meum corpus sentit infirmitatem, & mea anima sanitatem, tuus servus sentit se recipere dona & gratias à suo Domino & à suo Salvatore.

18. Tibi, *Domine DEVS*, fiat laus & honor à tuo servo; quia ipse quotiescunque sentiat sanitatem corporalem & spiritua- lem debet cognoscere ipsam ei venire à tua gratia; & quotiescunque sentiat infirmitatem corporalem & spiritua- lem, debet scire

Z

ipsam

ipsam ei venire ex parte sui defectus & suæ culpæ.

19. g. *Invocate Domine ab omnibus gentibus, amate super omnes amores!* Homines divites pluries infirmantur per nimietatem divitiarum, quàm pauperes per nimietatem paupertatis; quia pluries infirmatur homo per nimis multum comedere, quàm per nimis parum; & pluries sanatur per parum comedere, quàm per multum: igitur secundùm hoc multò plus valet ad sanitatem paupertas, quàm opulentia.

20. *Humilis Domine!* Plerumque accidit, quòd quando sentio meum corpus sanum & alacre, sentiam meam animam infirmam & culpabilem; & quando sentio meam animam sanam & mundam, sentiam meum corpus infirmum: igitur, cum plus valeat sanitas animæ, quàm corporis, multò plus valet homini desiderare corporalem infirmitatem, quàm sanitatem.

21. Quò plus corpus hominis, *Domine*, sentit sanitatem, eò plus homo ignorat perfectionem & beatitudinem animæ; & quò plus

plús ipsum corpus sentit infirmitatem, eò plús cognoscat homo vilitatem hujus mundi, & eò plús eam contemnit & memorat, quomodo anima possit pervenire ad suum complementum, & ad suam perfectio-
nem.

22. h. *O Domine DEVS, qui es comple-
mentum meorum desideriorum & perfectio
meorum amorum!* Cúm homo sit multò plús
paratus ad mala operá, quando est sanus,
quàm quando est infirmus: valde miror,
quomodo possit adeò amare sanitatem su-
per infirmitatem; quia multò propinquior
est homo defectui, quando est sanus, quàm
quando est infirmus.

23. Quid valet sanitas corporalis, quo-
niam infirmitas est ei adeò propinqua? &
quid nocet infirmitas corporalis, dum sani-
tas sit ei propinqua? in veritate dico Tibi,
Domine, quòd ad nihilum deberet homo re-
putare sentire sanitatem vel infirmitatem
corporalem.

24. Cum magna admiratione video,
Domine, quòd homines ament sanitatem &
evitent

evitent infirmitatem, quantum possunt; nam quid valet sanitas, & quid nocet infirmitas, cum quotidie videamus homines in meliori ætate, quâ possint esse, infirmari & mori, & senes vivere & reconvallescere à suis infirmitatibus?

25. i. *Domine DEVS, qui demonstras tuam Potestatem in omnibus rebus, in quibus eam vis demonstrare! Cum meum corpus sit subjectum sanitati & infirmitati, quotidie sentio sanitatem & infirmitatem ire & venire in ipsum, & quando venit sanitas, abit infirmitas, & quando infirmitas venit, abit sanitas; & ita meum corpus nocte & die non est nisi in subjectione sanitatis & infirmitatis.*

26. Corpori infirmo plus valet propinquitas medici corporalis, quam medici spiritualis: igitur, cum mea anima, *Domine*, sit infirma & non habeat alium medicum nisi Te, peto à Te gratiam, ne Te elonges ab ea, ut sanetur & mundetur per Te & in Te.

27. *Mea anima, Domine, est infirma & vul-*

vulnerata per septem peccata mortalia, quæ eam vulneraverunt & fœdaverunt & culpaverunt & inordinaverunt; & est infirma, quia fuit inobediens Tibi in omnibus decem mandatis: igitur, cùm ipsa sit adeò infirma, placeat Tibi, qui es suus medicus, non elongare Te ab ea.

28. K. *O sancte Splendor! O gloriosa Lux!*
O dulcedo super omnes dulcedines! Quando videbo illam diem, in qua sentiam meum corpus infirmum & meam animam sanam per nimium vigilare & jejunare & cogitare & plorare & amare & orare?

29. *O Domine dulcis & pie!* „Quando „erit illa dies, in qua tuus servus sentiet suas „manus ligari, & suum corpus torqueri & „occidi pro suo Domino & suo Salvatore? „quia, si ita sit, quòd ei velis facere hanc „gratiam, bene poterit dicere, quòd sua anima sit in suprema fanitate & in memoria „tuæ sanctæ Pietatis.

30. Sicut homo, qui est valde infirmus & vulneratus & morti proximus, valde velociter mittit ad medicum, ita tuus capti-

vus

vus & tuus homo mittit suam memoriam & suam cogitationem & suam spem & suum amorem ad Te, *Domine*, ut succurras suæ animæ, quæ morietur in peccato, nisi in brevi habeat adjutorium à suo Domino DEO.

CAPUT CXXXIII.

QVOMODO HOMO SIT SENSIBILIS Quietis & Laboris.

1. **O** *DEVS* amorose, nobilis in omnibus a. **O** nobilitatibus, honorate in omnibus honorationibus! Tibi, *Domine*, fiat reverentia & honor, qui univisti & conjunxisti hominem de duabus substantiis scilicet corporali & spiritali: unde, quando homo sentit quietem vel laborem corporalem, hoc provenit ex aliqua re, quæ concordat vel contrariatur substantiæ corporali, & quando sentit quietem vel laborem spiritualem, hoc provenit ex aliqua re, quæ concordat vel contrariatur substantiæ spiritali.

2. *Pie*

2. *Pie Domine!* Sicut corpus hominis est sensibile laborum & sollicitudinum & fatigationum, quando frequenter & velociter movetur sine intermissione, ita anima ipsius est sensibilis laboris & sollicitudinis, quando frequenter & sine intermissione movetur ad cogitandum & imaginandum & memorandum res graves & duras ad intelligendum & percipiendum.

3. *Honorate Domine!* Sicut corpus est sensibile requiei, quando cessat à suo motu, & manet in pace & securitate, quando est fatigatum ex motu, ita anima est sensibilis requiei, quando cessat à suis memoracionibus & cogitationibus & considerationibus, quæ eam habebant in labore per nimium cogitare & memorare vel considerare.

4. b. *Domine Creator Cæli & terræ & universorum, quæ sunt!* Corpus hominis habet laborem & pressuram per hoc, quòd sentiat famem & sitim, calorem & frigus; & per hoc, quòd sentiat ictus & vulnerationes; sed anima ipsius aliter sentit laborem & pressuram scilicet per invidiam &

ma-

malevolentiam, vel per ignorantiam & dubitationem, vel per pavorem & suspicionem.

5. *Conueniens Domine!* Sicut corpus humanum est sensibile quietis per faturitatem & per dormire & jacere in mollibus lectis & per temperantiam quatuor qualitatum, ita anima rationalis est sensibilis quietis per intelligere res, in quibus dubitabat, & per scire res, quas ignorabat, & per amare res, quas odiebat, & per confidere in rebus, de quibus timebat.

6. *Tibi, Domine DEVS,* sit laus & gloria; quia, sicut corpus hominis sentit quietem per ordinationem & convenientiam elementorum, de quibus est compositum, ita sentit laborem per inordinationem ipsorum, quando in eo inordinantur; & sicut anima rationalis sentit quietem, quando suæ potentiae sunt ordinatae, ita sentit laborem & pressuram, quando ipsae sunt inordinatae.

7. c. *Domine vere DEVS,* qui es *Ordinator & Factor & Benefactor omnium rerum!*

Graves

Graves labores & magnæ poenæ, quæ sentiuntur in hoc mundo, significant hominî graves poenas & magnos labores, qui sentiuntur in inferno, & felicitates & placita, quæ sentiuntur in hoc mundo, significant ipsi magnas glorias & felicitates, quæ sunt in paradiso.

8. *O Domine!* Quàm parvæ res sunt homini occasio sentiendi laborem vel quietem in hoc mundo: igitur, cùm valde magnæ sint res, quæ erunt ei occasio sentiendi in paradiso quietem & in inferno laborem, quanta erit gloria vel poena, quæ sentietur in altero sæculo ratione magnæ occasionis, quam in eo habebit homo sentiendi gloriam vel poenam?

9. *Misericors Domine!* Pro uno labore vel pro una poena, quam homines sustineant & sentiant in hoc mundo pro amore Tui, videtur mihi, quòd sustineant & sentiant centum pro amore alterius; & hoc mihi videtur esse una de majoribus amentitiis mundi, quòd homo velit sentire majorem pressuram pro rebus, quæ non possunt

ei

ei dare remedium in inferno, quàm pro amore Tui, qui potes ei dare in paradiso sentire gloriam perdurabilem.

10. d. *Misericors Domine super omnes misericordias, potens super omnes vires!* Major pœna, quam anima hominis possit sentire, est dubitatio in sua fide; & majus remedium, quod possit sentire, est certificatio in ipsa; quia adeò chara res est fides, quòd majorem laborem vel majus remedium det, quàm ulla alia res, quam homo possit sentire in hoc mundo.

11. Major labor & major pœna, quam corpus hominis possit sentire in hoc mundo, *Domine*, est angustia mortis, quando anima ab eo separatur; & sicut separatio animæ est corpori occasio majoris pœnæ, quam possit sentire in hoc mundo, ita est ipsi animæ occasio majoris pœnæ, quam possit sentire, si ipsa est peccatrix, & vadit ad ignem perdurabilem.

12. *Liberalis Domine!* Sicut corpus hominis infirmi sentit magnum remedium & magnam quietem, quando sanatur & alleviatur

viatur ab infirmitate, ita anima tentata & scandalizata sentit magnum remedium & magnum placitum, quando vicit tentationem & diabolum & suam sensualitatem, & noluit se inclinare ad peccatum.

13. e. *Remissor Domine, abundans omnibus bonis!* Tibi cognoscatur sanctitas & virtus, qui beatificasti omnes illos, qui pro tuo amore sentiunt in hoc mundo labores & sollicitudines, & qui omnem prosperitatem & placitum, quod sentiunt, sentiunt pro amore & honoratione Tui.

14. Labores & pœnas, quas homo sentit in altero sæculo, *Domine*, non est, qui posset numerare & æstimare; quia, cùm labores & pœnæ, quæ sentiuntur in hoc mundo, semper sint mixtæ cum sensu alicujus placiti & felicitatis, & tamen sint tot, quòd non possit homo eas numerare, quomodo posset numerare pœnas alterius sæculi, quæ sentiuntur sinè ullo remedio & placito?

15. Adeò sunt in hoc sæculo, *Domine*, insimul labores & quietes, quòd, quò plus quietis velit homo in eo habere, eò plus laboris

laboris sentiat; & propterea, quò plus tuus servus vult quietare suam animam in Te, eò plus laboris sentit suum corpus, & quò plus suum corpus vult sentire prosperitates temporales & quietem, eò plus laboris & sollicitudinis sentit sua anima.

16. f. *O Domine vere DEVS, qui vivificas & mortificas & salvas & damnas, quos vis!* Sicut homo est in labore & molestia die & nocte per pediculos & pulices & cimices & muscas, ita die & nocte est in labore & molestia per quinque sensus corporales, nisi det eis hoc, quod requirunt & petunt.

17. *Cùm tuus servus & tuus subditus, Domine DEVS, sit in magno labore & molestia die & nocte per res sensuales, quas sensus corporales petunt & requirunt, placeat Tibi dare ei tantam pacem in suis sensibus spiritualibus, quòd ipsi dent ei remedium à laboribus, quos sustinet in suis sensualitatibus.*

18. *Misericors Domine!* Sicut homo, qui est in magno labore, fugit ab ipso quantum

tum

tum potest, & quærit pacem & quietem, ita per contrarium tuus captivus & tuus benevolus fugit à quiete, quam suæ sensualitates ab eo requirunt & petunt, & accedunt & se profundat ad sentiendum labores & sollicitudines, quas beati sufferunt in hoc mundo, ut sint laudatores tuæ virtutis & demonstratores æternæ salutis.

19. g. *O Rex gloria, qui salvas & custodis & sustines omne, quod est!* Tuus homo & tuus subditus, *Domine*, putabat invenire remedium & felicitatem in divitiis & honoribus hujus mundi, & quando putabat in eis invenire felicitatem, inveniebat miseriam, & hoc erat, quia sua anima non inquirebat in repræsentatione sanctæ Crucis graves dolores, quos Tu sensisti in die tuæ Mortis.

20. In gravibus sollicitudinibus & doloribus, quos sentio, *Domine*, non possum invenire requiem nec remedium, quousque vertam meam animam ad cognoscendum magnas Nobilitates & Virtutes, quæ sunt in Te, & magnas misérias & defectus, qui sunt

in

in hoc mundo, & tunc mea anima lætatur & habet quietem in tua Bonitate & in contemptu hujus mundi.

21. Tuus subditus se sentit, *Domine*, valde culpabilem per hoc, quòd multos viros & mulieres posuerit in magnis laboribus & sollicitudinibus, ut ipse posset habere quietem; & propterea se reputat dignum sentire dolores perdurabiles & pœnas sine fine.

22. h. *Domine sancte super omnem sanctitatem, honorate super omnem honorationem, cui sit omnis gloria & benediçtio!* Tuus servus elevat suas manus & suos oculos lacrymosos ad cœlum, & petit à Te gratiam, ut ei des verum amorem in suo corde, ne sentiat labores temporales, qui alleviantur per abundantiam amoris.

23. *Benedicta sit, Domine, tua Magnitudo & tua Sanctitas, quia meum corpus dat significationem de se ipso, quòd sit res vilis & misera in hoc, quòd parva res det ei laborem, & parva res det ei remedium; sed mea anima dat significationem de se ipsa,*

ipsa, quòd sit creata in meliori dispositio-
ne & majori nobilitate, quàm corpus in
hoc, quòd nulla res possit ei dare quietem,
nisi tua Bonitas, nec ulla res possit ei dare
laborem, dum contemplatur tuam honora-
tionem.

24. Valde miror, *Domine*, de homini-
bus mundanis, quomodo adeò ament quie-
tem corporalem & adeò odiant labores sen-
suales; quia considerare possunt, quòd,
quando exiverint de uno labore, intrabunt
in alium, quoniam totus mundus est in la-
boribus & sollicitudinibus; & ideo nullus
homo, qui sit amator mundi, potest fugere
laborem & dolorem.

25. i. *O Domine DEVS, qui beatificas,*
quos vis, & das gratiam & benedictionem
omnibus in Te confidentibus! Cùm Tu pro
amore nostri sustinueris multas pœnas &
dolores & labores, magnam rationem ha-
bet tuus populus sentiendi pro tuo amore
multos dolores & labores, ut possit dare
laudem de tua sancta Trinitate & de tua
sancta Incarnatione.

26. Lau-

26. Laudatus & benedictus sis, *Domine DEVS*, qui tuo servo & tuo amatori das labores & sollicitudines per amorem & devotionem dandi gloriam & laudem de suo Salvatore; &, quoniam isti labores sunt pleni amore & dulcedine, tuus servus Te precatur, ut omni tempore suæ vitæ des ei abundantiam ipsorum ad tuum honorem.

27. *Remissor Domine!* Sicut est beatus homo, qui sentit multos labores corporales & sentit in suo corde patientiam, ita est beatus homo, qui sentit quietem spiritualem, & sentit suam animam dare gratias & laudes suo Domino DEO.

28. K. *Desiderate Domine super omnia desideria, amate super omnes amores!* Sicut tua magna Justitia est mihi occasio magni laboris, ita tua dulcis Misericordia est mihi occasio magni remedii; quia, quando tua Justitia mihi dat laborem ratione timoris, quem me facit habere de meis gravibus peccatis, tua Misericordia mihi dat remedium ratione dulcis spei, quam me facit habere in tua dulci Pietate.

29. Lau-

29. *Laudatus & benedictus sis, Domine, quia, sicut quietes & remedia, quæ mihi veniunt à spe, quam habeo in tua sancta Misericordia, sunt ad utilitatem meæ animæ, ita labores & sollicitudines, quæ mihi veniunt ex parte timoris, quem habeo de tua benedicta Justitia, sunt ad utilitatem ipsius.*

30. *Virtuose Domine! Sicut labores & quietes mixtim & accidentaliter sentiuntur in hoc mundo, ita in altero sæculo erit oppositum; quia, qui erunt in inferno, nunquam sentient quietem nec remedium, & qui erunt in paradiso, nunquam sentient ullam pœnam nec ullum laborem, quia glorificabuntur in præsentia sui Domini DEI.*

CAPUT CXXXIV.

QVOMODO HOMO SIT SENSIBILIS Placiti & Displiciti.

1. *D*ivine Domine, plene dulcedine & misericordiâ & gloriâ! Sicut cor-

A a

pus

pus hominis sentit bonum saporem & placitum per res, quæ sunt sui generis & suæ naturæ, ita anima ipsius sentit dulcedinem & placitum per res, quæ sunt sui generis & suæ naturæ; & ideo homo quandoque sentit placitum per res corporales & sensuales, & quandoque per res spirituales & intellectuales.

2. *Honorate Domine, plene gratiâ!* Quia anima hominis est multò nobilioris naturæ, quàm corpus, ideo multò nobiliora & meliora sunt placita, quæ sentit anima, quàm quæ sentit corpus: igitur quantò meliora sunt placita animæ, quàm corporis, tantò deberent plus amari & desiderari illa, quàm ista.

3. Unde benedictus sis, *Domine*; quia, sicut corpus & anima hominis sentiunt placitum per res, quæ sunt suæ naturæ, ita sentiunt displicentiam per res, quæ contrariantur suæ naturæ; & quantò meliora & majora sunt placita animæ, quàm corporis, tantò majores & pejores sunt displicentiæ illius, quàm istius.

4. b. O Domine DEVS, qui es Spes & Benedictio omnium populorum! Quia corpus hominis recipit generationem & corruptionem, propterea vivificatur plús per sentire placita, quàm per sentire displicita, & plús mortificatur per sentire displicita, quàm per sentire placita; & similiter accidit animæ, licèt non sit corruptibilis, quia per placita est in meliori dispositione, quàm per displicita.

5. Ex hoc, quòd corpus & anima hominis, Domine, non sint similis naturæ, provenit, quòd corpus, quoties sentiat pœnas & displicentias, mortificetur & torqueatur, sed de anima non est ita, quia non semper per tristitiam & displicentiam mortificatur, imò sunt tristitiæ & displicentiæ, quæ eam vivificant & mundant à suis gravibus culpis.

6. Cúm anima hominis, Domine, vivificetur contemplando in tua Bonitate, & tristitia & displicentia, quam habet de suis peccatis, eam non corrumpant nec mortificent, imò eam vivificent, per hoc demonstratur,

372 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
tratur, quòd ipsa non sit de natura corrup-
tibili & mortali.

7. c. *O Domine DEVS, qui es magnus
super omnes magnitudines, & habes sapien-
tiam super omnes sapientias!* In omnibus
placitis, quæ homo sentit in suo corpore,
significantur defectus; & in omnibus placi-
tis, quæ sentit in sua anima per contem-
plationem tuæ magnæ Bonitatis, significan-
tur & demonstrantur perfectiones.

8. *Cúm placita corporis, Domine, sig-
nificent defectum, & placita animæ signifi-
cent perfectionem, beati sunt sancti Reli-
giosi, qui inquirunt, quòd sua anima per
contemplationem sentiat placita spiritualia,
& suum corpus sentiat afflictiones sensua-
les.*

9. *„Cúm ego miser non sim, Domine,
„religiosus, imò sim sæcularis & occupatus
„& impeditus in rebus temporalibus, valde
„desidero posse sentire beata placita, quæ
„sancti Religiosi sentiunt per hoc, quòd
„contemnant res temporales, & contem-
„plentur spirituales beatitudines.*

10. d.

10. d. *O Domine cognite in omnibus bonitatibus! O Domine amate super omnes amores!* Sicut sancti Religiosi habent magnum placitum & lætitiã, quando audiunt dici glorias & laudes de tua magna Bonitate, ita habent magnam pœnam & displicentiam, quando audiunt dici malum de Te, & attribui Tibi id, quod non est in Te, & non cognosci bonum, quod est in Te, & quod venit à Te.

11. Sancti homines, *Domine*, sunt plûs sensibiles magnorum placitorum & magnarum displicentiarum, quàm ulli alii homines; quia, quantò sanctioris vitæ sunt, tantò majora sunt placita & displicentiæ, quas sentiunt.

12. Quantò plûs homo est ligatus & unitus tuo amori in tuo honore & servitio, *Domine*, tantò majorem occasionem habet sentiendi placitum in bonis operibus, quæ facit pro tuo amore; & quanta sunt obstacula, quæ eum impediunt in tuo amore & servitio, tanta est occasio, quam habet, sentiendi displicentiam & pœnam de illis rebus,

bus, quæ eum impediunt.

13. e. *Honorate Domine, cui omnes populi terrarum faciunt reverentiam & honorem.* Sicut homines habent occasionem sentiendi placitum in tempore veris, quando vident flores & arbores virides & frondosas, & audiunt aves cantantes in sylvis & pratis, ita, *Domine*, & adhuc multò plùs habent occasionem sentiendi pœnam & displicentiam, quando memorant & cognoscunt defectus, quos fecerunt contra Te.

14. *Amorose Domine!* Multò majus placitum sentit anima contemplando in tua Bonitate secundùm doctrinam hujus Libri, quàm legendo & loquendo verba scripta in ipso; quia legere & loqui sunt sensualitates, quæ impediunt placitum, quod anima sentit, quando imaginatur & cogitat & memorat verba lecta & audita.

15. Quia intellectualitates sunt nobiliores, quàm sensualitates, propterea, qui intellectualiter contemplantur in Te, *Domine*, sentiunt majorem dulcedinem & placitum, quàm qui in Te contemplantur sensualiter

sualiter loquendo vel audiendo ; quia propinquior est Tibi anima per cogitare & imaginari, & per memorare & amare, quàm per verba, quæ homo loquitur vel audit.

16. f. *Domine sancte super omnem sanctitatem, Domine gloriose super omnes glorias !* Sicut per magnam ruinam diruitur tota domus & remanent sola fundamenta, ita magna placita & delectationes, quas tempore præterito sensi, abierunt & de eis nihil remansit in me, nisi sola fundamenta, quæ sunt culpæ & peccata & injuriæ.

17. Super ista fundamenta, quæ mihi remanserunt de placitis, quæ habui, ædifico & construo, *Domine*, domum ploratus & contritionis & timoris & satisfactionis, ut ista fundamenta convertantur & alterentur in virtutes & in amorem & misericordiam & indulgentiam.

18. Omnes, qui quærunt in hoc mundo delectationes & placita, *Domine*, pro uno placito, quod inveniunt, inveniunt centum displicentias ; sed, qui volunt sentire placita & dulcedinem contemplando in tua
alta

376 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
alta Nobilitate & Bonitate, pro una displicentia, quam habent, sentiunt centum placita: igitur stultus est omnis homo, qui de ulla alia re vellet sentire dulcedinem & placitum, nisi de tua honorata Bonitate.

19. g. *O Domine DEVS, qui omnia das!*
O Domine, qui es fortis super omnes fortitudines! Quando accidit, quòd sentiam magnam displicentiam vel tristitiam, & vertam meam animam ad contemplandum in Te, statim sentio me totum plenum & cooperatum dulcedine & placito; &, quando accidit, quòd mea anima obliviscatur & ignoret Te, & memoret alias res, statim eam sentio tristem & turbatam & plenam displicentiis & tentationibus.

20. Tibi, *Domine DEVS*, sit gloria & laus, qui magnorum placitorum, quæ tuus servus habuit tempore præterito, facis eum poenitere & tristari, quoties memorat & cogitat vilitatem ipsorum; & benedictus sis Tu, quia tristitia & poena, quam sentio de defectibus, quos feci, alteratur in valde magnum placitum in hoc, quòd me
sen-

sentiam valde poenitentem meorum peccatorum.

21. Qui sentiunt placitum & lætitiã, quando vident alios facere bona opera, *Domine*, possunt cognoscere se esse in via benedictionis; & qui habent placitum & lætitiã, quando vident alios facere mala opera, possunt cognoscere se esse in via maledictionis.

22. h. *Domine DEVS, qui das gratiam & benedictionem tuis benevolis !* Benedicti sunt omnes, qui sentiunt æquè magnum placitum de rebus, quibus eos torques & punis in hoc mundo, sicut de rebus, quibus eos delectas & lætificas; quia multò majus meritum est eis habere placitum, quando ab eis aufers ea, quæ eis dedisti, quàm habere placitum de rebus, quas eis das.

23. Si computaretur tempus, in quo homo sentit placita, & tempus, in quo sentit displicentias, *Domine*, parùm amaretur ista præsens vita, & parùm timeretur mors, & parùm appretiarentur res, quæ dant homini placitum in hoc mundo.

24. Qui

24. Qui bene memoraret placita & displicentias hujus mundi, *Domine*, tot inveniret esse displicentias, quòd parùm appretiaret placita; quia parùm valent placita, quæ sentiuntur inter tot displicentias, & quæ adeò velociter transeunt.

25. i. *Vere Domine, qui salvas & defendis ab omnibus malis omnes, quos vis!* Naturale est, quòd infirmitas adferat pœnam & displicentiam & tristitiam, & sanitas placitum & lætitiã; sed ego volo ire per contrariam naturam; quia, quando meum corpus est infirmum per suam culpam, volo semper habere lætitiã & placitum de tua justa Sententia.

26. Quando corpus est infirmum, *Domine*, anima habet occasionem sentiendi placitum & lætitiã ex hoc, quòd corpus perdat potestatem & vires, per quas eam inclinât ad infirmitatem, quando est sanum; & ideo, sicut corpus habet placitum in infirmitate animæ, ita anima debet habere placitum in infirmitate corporis.

27. Multos homines video, *Domine*,
plus

plus perdidisse & plus detrimenti passos esse, quàm ego, & video eos sentire plus placiti & lætitiæ, quàm ego: igitur unde provenit in me sentire majorem displicentiam & tristitiam, quàm illi?

28. K. *Creator Domine, Benefactor noster!* A meo visu sensuali mihi venit motus & occasio sentiendi tristitiam & displicentiam, quando video tuam Imaginem in Cruce tristem, & significare mortem & graves labores; sed, quando visu intellectuali imaginor gloriam, in qua est tua sancta Humanitas, tunc habeo magnum placitum & lætitiã in mea anima videndo ipsam memorando, cogitando & amando.

29. *O Domine!* Quàm dulcia placita & amorosa sensatio est illa, quam beata anima contemplando recipit à tua Bonitate & à tua sancta Deitate! & quàm amara & angustiosa sensatio est illa, quam contemplando recipit à tua gravi Passione & à gravibus amaritudinibus, quas sustinuisti in Cruce pro nobis peccatoribus?

30. Tuus servus & tuus benevolus, *Domine*

mine DEVS, Te orat & precatur, & à Te petit gratiam, ut ei des non sentire displicentiam & tristitiam, quam sentiunt homines, qui amant divitias temporales, & habent iram & displicentiam, quando eas perdunt, imò ei des omnia sua placita sentire in dando laudem & gloriam & honorem de suo Domino DEO.

CAPUT CXXXV.

QUOMODO HOMO SIT SENSIBILIS Diligentia & Pigritia.

1. **O** *DEVS* potens, qui nos vocas ad
 á. **O** *cælestem gloriam*! Quia corpus humanum, *Domine*, & anima rationalis non assimilantur in natura, sunt homines pigri vel diligentes secundum dispositionem corporis vel animæ; quoniam, si anima dominatur corpori, est homo diligens in natura potentia rationalis, & si corpus dominatur animæ, est diligens in natura potentia sensitivæ.

2. Et, si ita sit, quòd homo, *Domine*, sit piger in potentia rationali, & diligens in potentia sensitiva, tunc est in via peccati & perditionis, quia plús tractat de rebus temporalibus, quàm de spiritualibus.

3. *O Domine!* Quàm culpabilis est tuus servus & tuus subditus, quia fere omni tempore suæ vitæ fuit negligens in procurando salutem animæ, & valde diligens in procurando delectationes & placita corporalia?

4. b. *Domine vere DEVS, qui vivificas & inamoras corda omnium in Te confidentium, & ad Te clamantium!* Omnes, qui sunt diligentes & ferventes in faciendo bona opera, incedunt per viam primi motus.

5. Sed omnes, qui sunt diligentes & ferventes in faciendo mala opera & pigri in faciendo bona, *Domine*, incedunt per viam secundi motus; quia diligentia in bono est in natura propinquior *esse*, quàm privationi, & pigritia est propinquior privationi, quàm ipsi *esse*.

6. Cúm videamus in hoc mundo, *Domine*, plerosque homines esse diligentes in
fa-

faciendo malum, & pigros in faciendo bonum, possumus cognoscere plures esse illos, qui incedunt per secundum motum, quàm, qui incedunt per primum; & per hoc demonstratur plures esse homines malos, quàm bonos; quia incedentes per primum motum sunt boni, & incedentes per secundum motum sunt mali.

7. c. *O Domine DEVS, qui latificas & consolaris omnes illos, qui Te invocant! Omnes incedentes per secundum motum possumus cognoscere in diligentia & pigritia ipsorum; quia in rebus vanis & inutilibus videmus eos esse diligentes, & in rebus bonis & utilibus, & quæ sunt homini necessariæ, videmus eos esse pigros & negligentes.*

8. Qui sentiunt se diligentes in rebus utilibus, & quæ sunt ad laudem & gloriam Tui, *Domine*, sunt beati; quia incedunt per primum motum, & amant omnes res, quæ debent esse, & evitant omnes res, quæ non sunt dignæ esse.

9. *O Domine! Quàm misera diligentias est*

est illa, quam habet homo in comedendo bonos cibos & bibendo generosa vina & in vestiendo se pretiosis pannis & in habendo vanas delectationes! & quàm benedicta diligentia est illa, quam habet homo in faciendo eleemosynas & jejunia & vigiliis & peregrinationes & in perseverando in oratione & pœnitentia!

10. d. *Ordinator Domine super omnes ordinationes, potens super omnes vires!* Sicut amor est propinquior diligentia, quàm pigritia, ita homines plerumque lucrantur vel perdunt plus per diligentiam, quàm per pigritiam.

11. Igitur ratione hujus, *Domine*, potest homo sentire in se ipso, quòd diligentia sit de genere vitæ, & pigritia de genere mortis.

12. Nam diligentia, *Domine*, generat amorem & affert lucrum, quando est in bono, & per amorem & per bona opera venit vita perdurabilis; & negligentia privat amorem & bona opera, & per privationem amoris & bonorum operum venit mors perdurabilis.

durabilis.

13. e. *O Domine vere DEVS, qui recreasti humanum genus cum effusione pretiosi Sanguinis & misericordium lacrymarum!* Plerosque homines hujus mundi video esse diligentes in rebus, in quibus sunt defectus, & esse pigros in rebus, in quibus sunt perfectiones; & cum defectus sit propè mortem & procul à vita, & perfectio sit propè vitam & procul à morte, valde miror, quòd homines habeant majorem diligentiam in rebus, in quibus sunt defectus, quàm in rebus, in quibus sunt perfectiones.

14. Quia homines, *Domine*, sunt diligentiores in rebus, quæ veniunt à defectu, quàm in rebus, quæ veniunt à perfectione, ideo sunt diligentiores in defendendo se à fame & siti & calore & frigore & infirmitate & paupertate & aliis rebus similibus, quàm in amando & laudando & memorando & precando Te & in acquirendo virtutes.

15. Ista major diligentia, quam homines

nes habent, *Domine*, in rebus, quæ veniunt à defectu, quàm in rebus, quæ veniunt à perfectione, provenit à peccato & culpa & inordinatione; quia, sicut diligentia secundum ordinationem est prope perfectionem & procul à defectu, ita per inordinationem est procul à perfectione & prope defectum.

16. f. *Domine DEVS, in quo confidunt mea vires, & in quo multiplicantur mei amores: Sicut homo edax & gulofus vadit ad mensam valde diligenter, & surgit ab ea valde pigrè, ita ego tempore præterito valde pigrè ibam ad Ecclesiam, & valde diligenter exibam & discedebam ab ea.*

17. *Humilis Domine, plene gratiâ! Sicut homo piger pigrè vadit ad lectum, & valde pigrè de ipso exit, ita per contrarium Tu valde diligenter ivisti ad moriendum in Cruce, & valde diligenter descendisti ad inferos, ut extraheres sanctos Prophetas & sanctos homines, qui longo tempore Te desideraverunt.*

18. *Tuus servus & tuus subditus, Do-*

mine DEVS, agit Tibi gratias, quia eum introduxisti in hoc honoratum Opus Contemplationis, in quo habet diligentiam, ut Teoret corporaliter & spiritualiter per diuturnitatem temporis expensi in contemplatione.

19. g. *O Domine perfecte in Virtutibus & Nobilitatibus & in omnibus Honorationibus!* Homines, qui sunt pigri in incipiendo opera eis necessaria, quare non considerant, quòd postquam ea perfecerint, omnis sollicitudo, quam habuerunt, erit præterita, & nunquam oportebit ad ipsam redire?

20. Quando homines, *Domine*, volunt incipere aliquod magnum factum vel aliqua magna opera, multò majorem pigritiam sentiunt in principio, quàm quando incipiunt aliqua facta & aliqua opera, quæ non sunt magna, & quæ leviter perfici possunt.

21. Unde benedictus sis, *Domine*, quia per hoc, quòd homines sentiant majorem pigritiam in incipiendo opera magna, quàm in incipiendo parva, significatur humano

in-

intellectui, quòd magna opera non sint in natura adeò æqualia homini, sicut parva: igitur per hoc intelligitur, quòd omnia opera magna & nobilia pertineant ad Te, qui es magnus & nobilis, & parva pertineant ad hominem, qui est res misera & parva.

22. h. *Gloriose Domine plene omnibus gloriis, amorose plene omnibus amoribus!* Cùm meum corpus sit pigrum in jejunando & orando & in faciendo bona opera, & in tractando quomodo perveniat ad mortem pro amore Tui, si mea anima esset bene domina ipsius, faceret ipsum esse diligens in afflictionibus & orationibus & operibus, per quæ posset dare lacrymas suis oculis, & posset effundere suum sanguinem pro amore tuarum laudum & nobilitatum.

23. Cùm meum corpus, *Domine*, sit per naturam pigrum in faciendo bona opera, & per tuam gratiam anima mortificaverit sensualitatem naturæ ipsius, rationale est, quòd nulla negligentia inveniatur in me, & quòd semper sim plenus & cooperatus

pertus diligentia & amore, ut sim laudator
Tui & tuæ sanctæ Passionis.

24. Quando ego, *Domine*, habebō motum negligentia & pigritia in faciendo bona opera, peto à Te gratiam, ut me facias memorare brevitatem vitæ hujus mundi, & meas culpas, & perdurabilitatem alterius sæculi; quia per talem memoriam & cogitationem fiunt homines diligentes in faciendo bona opera.

25. i. *Domine cognite super omnia dominia!* Sicut homo piger statim incipit oscitare & se excusare, quando præcipitur ei aliquis labor, ita quando mea anima præcipit corpori facere aliquid fructuosum, statim meum corpus incipit oscitare & repugnare.

26. Sicut bestia tarda & pigra indiget calcaribus & stimulo, ut velociter incedat, ita, *Domine*, sentio meum corpus pigrum pungi totâ die stimulo amoris, qui facit ipsum properare nocte & die, ut possim esse tuus servus & tuus benevolus.

27. *Liberalis Domine!* Quantus est amor,

amor, quo me inamorasti, tantam oportet esse meam diligentiam in serviendo Tibi, & quantam potestatem faciendi bona opera mihi dedisti, tantam oportet esse meam diligentiam in faciendo ipsa: igitur quoniam amor & potestas sunt in magna quantitate, precor Te, ut mea diligentia ad amandum & serviendum & honorandum Te sit etiam in magna quantitate.

28. K. *Virtuose Domine, à quo omnes virtutes & omnia bona sumunt perfectionem & vires!* Multi homines sunt negligentes in incipiendo bona opera per hoc, quòd ignorant finem ipsorum, & bonum, quod ex eis sequetur; & si ipsi à principio perciperent bonum, quod sequetur ex illis operibus, non essent negligentes in incipiendo illa: igitur cùm principium demonstrationis det plerumque finem operi, ideo semper est bonum, quòd homo incipiat opera, quæ sunt bona; quia meliùs potest videre finem incipiendo, quàm non incipiendo ipsa.

29. Cùm ego, *Domine*, perdiderim tantum temporis præteriti, & non sciam, an
potero

potero possidere aliquid temporis futuri, valde miror de me ipso, quomodo possim esse adeò piger in tempore præsentis, & miror, quò iverit diligentia, & quomodo tam longè recesserit à me.

30. Omnis homo, *Domine*, qui est piger & negligens in faciendo bona opera, & vult esse diligens in ferviendo Tibi, respiciat in Crucem & memoret, quomodo Judæi Te occiderint, & quomodo tua humana Natura valde diligenter mortua sit ad complendum mandata & voluntatem tuæ sanctæ Deitatis.

CAPUT CXXXVI.

QUOMODO HOMO SIT SENSIBILIS Desiderii & Tristitia.

1. **D***EVS* gloriose super omnes glorias,
 a. **D***amorose super omnes amores!* Naturale & rationabile videtur, *Domine*, quòd omnis homo, qui sentit indigentiam & defectum, desideret & appetat res, in quibus est

est abundantia & perfectio.

2. Igitur cum Tu, *Domine*, creaveris hominem absque omni defectu, & ipse ceciderit accidentaliter in defectum per peccatum & culpam, ego, qui sum plenus defectu, tristor in hoc misero sæculo, & mea anima desiderat esse in tua gloria, quæ est sua perfectio.

3. *Desiderate Domine!* Sicut nullus homo naturaliter desiderat redire ad defectum, postquam ab eo exivit, nec tristatur, quando non est in eo, ita omnis homo, qui est in defectu, naturaliter tristatur & desiderat venire ad id, quod est suum complementum & sua perfectio.

4. b. *Domine invocate in nostris pressuris & necessitatibus!* Si homo tristatur, quando non videt id, quod valde amat, & valde desiderat videre suum bonum amicum, quando diu eum non vidit, quanto plus ego debeo tritari, quando non video Te, & desiderare debeo videre Te, cum mei oculi corporales nunquam Te viderint!

5. Sicut homo, qui est extra suam patriam

triam

triam inter suos inimicos, tristatur, & desiderat redire ad suos amicos, ita, *Domine*, mea anima, quæ est in hoc mundo, qui est suus inimicus, valde tristatur & desiderat esse inter suos amicos in gloria.

6. Cùm mea anima, *Domine*, valde desideret esse cum suo Domino & cum suo Creatore & Salvatore, valde desiderat invenire semitas & vias, per quas possit pervenire ad id, quod adeò desiderat & amat: igitur, quoniam ipsa valde desiderat esse Tecum, placeat Tibi ei ostendere semitas & vias, per quas possit pervenire ad Te.

7. c. *Domine amate, Domine volite, Domine honorate* ! Beati sunt, qui in hoc mundo sentiunt desideria essendi in gloria cum Angelis & Sanctis Paradisi & in præsentia tuæ sanctæ Deitatis & tuæ sanctæ Humanitatis.

8. Miseri sunt, *Domine*, qui habent desiderium & lætitiâ essendi inter suos inimicos & malevolos, quales sunt divitiæ hujus mundi & vanæ delectationes, quas homines peccatores valde desiderant consequi,

qui, habere & possidere.

9. *O Domine!* Quàm bonum est hominem desiderare res, quæ sunt tales & adeò bonæ, quòd non noceant nec fatigent nec fastidium dent homini, quando eas habet: & quàm malum est hominem desiderare res, quæ sunt tales, quòd noceant & fatigent & fastidium dent, quando possidentur!

10. d. *O Domine liber, plene gratiâ, Spes & Confortatio omnium peccatorum!* Quilibet homo, qui est in terra aliena, dummodo possit in ea Tibi servire & Te amare, stultus est, si desideret suos amicos & cognatos & suam terram, & tristetur de absentia ipsorum; quia omni homini bene inamorado de Te sufficit locus & terra quæcunque sit, dum habeat abundantiam amoris & memoriæ tuæ Bonitatis & tuæ sanctæ Passionis.

11. Quid valet homini, qui est in terra aliena, desiderare suos cognatos & amicos, & tritari de absentia ipsorum, cum istud desiderium & tristitia ignoretur ab illis?

Illa

Illa tristitia est bona, *Domine*, quam homo habet de tua absentia, & etiam desiderium, quod habet essendi Tecum; quia Tu hoc non ignoras, & hoc acceptas in gratia & placito.

12. *Amorose Domine*: Sicut homo, qui vincitur & superatur à suis mortalibus inimicis, valde desiderat adjuvari à suis amicis, ita tuus servus & tuus benevolus, qui vincitur à mundo & à dæmone, valde desiderat juvari & succurri contra ipsos, à quibus quotidie tentatur & tribulatur & decipitur.

13. e. *Domine memorate in nostris curis & necessitatibus*: Benedictus sis Tu & omne, quod tuum est; quia valde desidero habere sufficientiam lacrymarum & ploratum & suspiriorum & amorum & pœnitudinum meorum gravium peccatorum; & quando tardant & non veniunt, valde desidero, quòd citò veniant.

14. Quotidie desiderat mea anima, *Domine*, fidelitatem & patientiam & veritatem & æquitatem & sapientiam & gratitudinem

dinem & alias virtutes ; quia valde timet, ne nimis tardent venire ad me.

15. Tuus homo & tuus subditus, *Domine*, valde desiderat pro tuo amore habere multas sollicitudines & labores, sustinendo famem & sitim, calorem & frigus, paupertatem & indigentiam, contemptus & tormenta & mortem; quia istæ res sunt viæ, per quas Tu transivisti, & per quas multi beati Martyres pervenerunt ad gloriam, quæ nunquam habebit finem.

16. f. Tuæ dulci Misericordiæ & tuæ sanctæ Pietati, *Domine*, ago tuus servus magnas gratias & laudes; quia tua Perfectio & tua Virtus accenderunt in me amorem & desiderium serviendi Tibi & essendi Tecum in gloria; & quia Tu es dignior servitio & laude, quàm ego gloriâ, oportet, quòd mea desideria sint majora in serviendo Tibi & in dando laudes de Te, quàm in desiderando meam salvationem.

17. Homines, qui sentiunt magna desideria præ magno amore, quem habent in suo corde, *Domine*, habent sua desideria ordinata,

ordinata, si desiderent laudare & honorare Te super omnes alias res ; sed si ullam aliam rem desiderent, sua desideria non possunt esse ordinata nec bona.

18. Quando meus intellectus, *Domine*, cadit in dubium & non percipit veritatem, statim sentio tristitiam & desiderium fidei & veræ credentiæ ; & quando sum in plateis & non audio loqui de Te, tristor, quia non audio tuas laudes & pulchra verba, quæ possunt dici de Te ; & quando vilipendor & reprehendor pro amore Tui, & meum cor se vult movere ad tristitiam, statim desidero habere abstinentiam & patientiam & memoriam tuæ Passionis.

19. g. *O Domine amate ! O Domine honorate ! O Domine plene virtute !* Magna desideria & magnæ tristitiæ afferunt homini languores per nimium amare & cogitare & memorare ; & quò majora & diuturniora sunt desideria, eò graviores sunt languores : igitur, cum mea desideria sint adeò magna & adeò durent, & ego sim adeò remotus à perfectione ipsorum, & adeò

pro-

propinquus meis inimicis, valde timeo, quòd possint habere complementum, quod desiderant & desideraverunt.

20. Veruntamen, *Domine*, omnes illi sunt beati, qui præ vi amoris & desiderii languent & moriuntur pro tuo amore; quia in morte perficiuntur & complentur omnia sua desideria, licèt non perveniant ad illa opera, quorum desiderio moriuntur pro tuo amore.

21. „Adeò differtur dies, in qua recipiam Martyrium pro tuo amore, *Domine*, „confitendo sanctam Fidem Christianam (si „tamen sit ventura) quòd me sentiam languere & mori præ desiderio videndi illam „diem, in qua torquear in medio populi, „sicut leo vel alia bestia fera, quæ circumcingitur à venatoribus occidentibus „eam.

22. h. *Gloriose Domine, plene omnibus gloriis, magne super omnes magnitudines! Adeò me inamorasti & aggratiasti, quòd me facias stare inter desiderium & timorem mortis, ita quòd desiderando mortem & timen-*
do

do ipsam desiderem mori laudando Te; & timeo mori ex infirmitate, vel pro vanitatibus mundi vel pro aliis rebus, quia nollem adeò vili morte mori.

23. „Amor me facit desiderare, *Domine*, diu vivere in eremitorio contemplando in hoc Libro tuam Bonitatem & vilitatem hujus mundi „; sed quia ego non sum dignus longâ vitâ nec tantâ felicitate, quanta esset ista, & sum obligatus per abundantiam desideriorum ad dandum laudes de Te apud illos, qui te non amant & Te contemnunt per carentiam laudatorum; propterea oportet me quærere, quomodo in brevi tempore possim invenire meam mortem, ut videatur, quòd habeas laudatores, qui non desistunt à tuis laudibus propter timorem mortis.

24. Sicut infantulus repit per hoc, quòd desideret ire, ita, *Domine*, tuus servus per abundantiam desideriorum cum sua parva sapientia & scientia, quantum potest, festinat, ut possit venire ad vias, quas longo tempore desideravit.

25. i. *Domine vere DEVS, qui das gloriosa dona, & remittis culpas & injurias!* Nulla res, in quam tempus cadat, est digna valde desiderari, quia res præteritæ non debent desiderari, quoniam non possunt recuperari; nec res præsentis sunt desiderandæ, quoniam sunt præsentis; nec res futuræ, sunt valde desiderabiles, quoniam nescit homo, an poterit eas habere: igitur cùm Tu solus sis, in quem non cadit tempus, Tu solus es, qui debes valde amari & super omnia desiderari.

26. *O Domine!* Quot vana & inutilia desideria habui, per quæ languebam & torquebar absque ulla utilitate! quapropter imposterum propono non desiderare nec velle nec amare ullam rem, in qua mea desideria sint perdita, & mei labores & mei languores non sint proficui.

27. Gratiam à Te peto, *Domine*, tanquam à misericorde Domino, ne habeam mala desideria, quæ longo tempore habui; quia sunt desideria, quæ ducunt hominem ad perdurabilia tormenta; & precor Te, ut,
quando

quando memorem & desiderem vanitates, quas adeò desideravi, me facias earum oblivisci, & me facias memorare tuam Bonitatem & tuam Virtutem, ut meum cor Te desideret & sim tuus benevolus.

28. K. *O Domine DEVS, qui regnas super omnes vires!* Quando meum corpus sentit famem & sitim vel calorem vel frigus vel aliquam pœnam, mea anima statim se movet ad desiderandum occasionem, per quam ipsum non sentiat illam pœnam: igitur cùm meum corpus sit inimicum meæ animæ, & Tu sis perfectio & complementum ipsius, quomodo est adeò fatua, quòd per desiderium corporis obliviscatur desiderare & velle Te & id, quod tuum est?

29. Cùm ego, *Domine*, cognoscam in me multa signa, per quæ sum dignus morte perdurabili, valde sentio meam animam desiderare, quomodo in me videat & sciat signa, per quæ sim dignus ire ad perdurabilem gloriam.

30. In illa die & hora, in qua ego, *Domine*, amando & desiderando Te plorabo & dolebo

dolebo de meis gravibus peccatis, & habebō oculos & manus versūs coelum, & genua in terra, & in meo ore erunt laudes de tua sancta Trinitate & Unitate & de tua benedicta Humanitate, cognoscam, quòd Tu me invites ad tuam sanctam gloriam, ut perdurabiliter requiescam in præsentia tuæ excellentis Essentiæ divinæ.

CAPUT CXXXVII.

QUOMODO HOMO SIT SENSIBILIS Animositatis & Pusillanimitatis.

1. **O** *DEVS liber super omnem libertatem! O Domine magne super omnem magnitudinem!* Tibi detur omnis laus & omnis gloria; quia, quando homo sentit animositatem & audaciam in primo motu, & vult destruere & vincere rem, quæ incidit per secundum motum, tunc debet esse valde audax & animosus, quia pugnat contra res, quæ non sunt dignæ esse in esse.

2. Sicut bonum est, *Domine*, hominem habere

Cc

habere

habere animositatem in primo motu, ita est bonum eum habere pusillanimitatem in ipso, ne perdat res, quæ per gratiam incedunt per primum motum.

3. Per audaciam & animositatem, quam homo, *Domine*, habet in primo motu, vincit & destruit res viles & culpabiles, quæ incedunt per secundum motum, & per timorem & pusillanimitatem, quam habet in primo motu, custodit res virtuosas & nobiles, ne pereant: igitur secundum hoc oportet, quod homo sit audax & timidus in primo motu, prout convenit.

4. b. *O virtuose Rex omnium Regum, sapiens Domine in omnibus sapientiis!* Homines, qui sentiunt animositatem in secundo motu, sunt animosi & audaces in destruendo res, quæ sunt dignæ esse, & volunt adducere in esse res, quæ non sunt dignæ esse.

5. Et homines, qui sunt pusillamines in secundo motu, *Domine*, habent timorem & pusillanimitatem faciendi res, quæ sunt dignæ fieri, & destruendi res, quæ sunt eis

contrariæ.

6. Igitur cùm animositas & pusillanimitas, quam homo habet in secundo motu, *Domine*, sit res vitiosa, maledicti sunt omnes, qui secundo motu habent animositatem & pusillanimitatem; quia tota sua animositas & pusillanimitas est ad damnationem sui corporis & suæ animæ.

7. c. *O Domine DEVS, qui glorificas beatos, & ignoscis omnibus, qui in tua dulci Misericordia confidunt!* Qui vult esse audax & animosus vasallus, quando pugnat pro suo Domino, amet ipsum primâ intentione, quia, si eum amat secundâ intentione, non poterit esse animosus & audax imò erit pusillanimis & victus à timore.

8. Rex vel Princeps, qui vult, quòd sui vasalli sint audaces & animosi in pugna, *Domine*, amet eos primâ intentione; quia, si hoc facit, ipsi amabunt eum primâ intentione, & sic erunt animosiores; sed, si Rex vel Princeps amet suos vasallos secundâ intentione, ipsi etiam amabunt eum secundâ intentione, & sic non erunt audaces

nec animosi, imò erunt pusillanimes & timidi, ratione cujus pusillanimitatis & timoris vincuntur in pugna.

9. *Amorose Domine!* Prima intentio est fundamentum amoris & virtutis & sapientiae & industriæ & animositatis & omnis boni; & ideo Princeps, qui vult amari & manuteneri à suo populo, laboret, ut suus populus eum amet primâ intentione; quia, quando amatur secundâ intentione, suus populus non potest habere animositatem nec audaciam nec industriam nec sapientiam in pugna, eò quòd secunda intentio est fundamentum pusillanimitatis & ignorantiae & debilitatis, quæ sunt pejores res, quas homo possit habere in pugna.

10. d. *Domine vere DEVS, qui recreasti tuum populum sustinendo humanam passionem in Cruce!* Illi homines sunt animosi & audaces, qui se exponunt locis & factis periculosis, & qui faciunt id, quod faciunt cum intentione vincendi & superandi suos inimicos, & qui plùs habent in memoria vincere, quàm vinci.

11. Unde, cùm homo, *Domine*, sit res fragilis & misera in natura, ideo sua imaginativa est propinquior pusillanimitati, quàm animositati; quia animositas non ita est prope defectum, sicut pusillanimitas: igitur, qui vult se juvare contra suam miseriam & fragilitatem, constringat suam imaginationem ad imaginandum adeò frequenter res, per quas homo vincit & superat suos inimicos, sicut illas, per quas vincitur & superatur ab eis.

12. Quia homines sunt animosiores & audaciores in pugna, quando sunt majoris quantitatis & meliùs muniti; propterea, *Domine*, qui vult in pugna esse bene animosus, munit se multis virtutibus; quoniam meliora arma, quæ homo possit habere, & per quæ evenit animosior, sunt amor & fidelitas & veritas & justitia & confidentia in tuo adjutorio & in tua benedictione; quia talibus armis homo vincit & superat suos inimicos & suos malevolos.

13. e. *O Domine DEVS, qui salvas & beneficia omnes, quos Tibi placet: Mihi videtur,*

detur, quòd animositas & pusillanimitas veniant ex parte corporis & ex parte animæ; quia quidam homines sunt animosi per vires corporales, & alii sunt pusillanimes per defectum ipsarum, & quidam sunt animosi per vires spirituales, & alii sunt pusillanimes per defectum ipsarum.

14. Homines, qui sunt animosi ratione virium corporalium, *Domine*, sunt illi, qui sunt fortes in persona & bene armati & majoris quantitatis, quàm sui inimici; & qui sunt animosi ratione virium spiritualium, sunt illi, qui habent abundantiam industriæ & sapientiæ, & qui habent cognitionem de veritate.

15. Cùm Tu, *Domine*, possis dare abundantiam virium corporalium & spiritualium omnibus illis, qui pugnant & disputant cum infidelibus pro tuo amore, valde debent esse animosi in tuis viribus & in tuo adjutorio illi, qui pro sancta Fide pugnant; & qui non sunt animosi in tuis virtutibus, sunt valde miseri, quando habent pusillanimitatem, dum pro tuo amore pugnant
cum

cum inimicis sanctæ Fidei Christianæ; quia nullus homo, qui pro Te pugnat, debet esse ullatenus pusillanimis.

16. f. *Pie Domine, plene dulcedine & pietate & amore* ! Homo victus multò majorem rationem habet essendi pusillanimis, quàm homo victor : igitur, cum ego miser sim victus & superatus à tot vitiis & peccatis, unde venit mihi, quòd sim animosus? & ubi est pusillanimitas, quam deberem habere ratione meorum mortalium defectuum?

17. Homines existentes in captivitate, *Domine*, multò majorem animositatem sentiunt, quando fugiunt à captivitate, quàm quando cadunt in eam; quia fugiendo se exponunt talibus rebus & adeò periculosis, qualibus non auderent se exponere, nisi essent captivi: igitur, cum ego sim in captivitate peccati & culpæ, quomodo potest esse, quòd non habeam animositatem fugiendi ab ea? videtur mihi, *Domine*, quòd sim de illis stultis, qui nolunt exponere res parvæ utilitatis, ut possint possidere res valde

pro-

proficuas.

18. Hominibus animosis & audacibus multoties accidit, *Domine*, quòd tota sua vita dependeat ab una hora vel ab uno puncto: igitur, cùm ego habuerim tantam animositatem in faciendo opera peccatorum, quoties meum *esse* dependit ab uno puncto vel momento, ut damnaretur ad ignem perdurabilem?

19. g. *Vere Domine, sapiens, juste Judex in omnibus rebus!* Beati sunt omnes, qui habent audaciam & animositatem in faciendo bona opera, quoties memorant tuam dulcem Misericordiam; sed maledicti sunt, qui non sunt pusillanimes in faciendo mala opera, quoties memorant tuam Justitiam: igitur, cùm ego adeò parùm habuerim in memoria tuam Misericordiam & tuam Justitiam, non scio, an meus finis erit per Misericordiam in benedictione, vel per Justitiam in maledictione.

20. *Amorose Domine!* Illi homines sunt animosi, qui laudant suum bonum Dominum coram inimicis ipsius, & etiam illi, qui

re-

reprehendunt homines defectuosos in præsentia ipsorum: igitur pusillanimis fui ego, qui non habui animum laudandi Te coram inimicis veritatis negatoribus tuæ Trinitatis & tuæ Incarnationis; & pusillanimis fui, quia non reprehendi homines defectuosos in sua præsentia, imò dicebam malum de eis secretò, & occultè & in absentia.

21. Homines, qui pugnant in bello, & vident suum Dominum in eo esse mortuum, si velint mori, ut possint vindicare & honorare ipsum, possunt dici animosi pugnatores; sed, si ipsi fugiant, quando vident suum Dominum mortuum, possunt dici pusillanimes: igitur cùm Tu, *Domine*, sis mortuus in prælio pro amore tui populi, multi sunt pusillanimes, cùm sint multi, qui fugiunt à pugna, & amant plùs vivere, quàm mori ad honorandum Te in pugna mortis, quæ mors dat vitam perdurabilem.

22. h. *O Domine DEVS, qui vis & amas omnes res habentes directionem & ordinationem!* Sicut melior animositas, quam homo possit habere, est, quòd velit mori ad defendendum

fendendum veritatem & rationem & justitiam; ita peior animositas est, quòd moriatur per nimiam animositatem faciendo injuriam & resistendo Veritati.

23. Melior animositas, quam homo possit habere & sentire, *Domine*, est, quando est animosus per vim amoris, & peior animositas est, quando est animosus per vim iræ & malevolentia; & hoc est, quia amor associatur cum ratione & sapientia & industria, & ira & malevolentia associatur cum stultitia & amentia & ignorantia.

24. *O Domine!* Quot sunt homines animosi & ferventes in lucrando denarios & in habendo vanam gloriam & in procurando delectationes! & quàm pauci sunt illi, qui sunt animosi in dando laudem de tua sancta Trinitate & de tua pia Humanitate coram infidelibus! & quàm multi sunt animosi contra pauperes & miseros, & quàm pauci sunt animosi contra divites & potentes!

25. i. *O Domine DEVS, qui in amoras meam mentem placidis desideriis & novis*

amo-

amoribus : Sicut homo bibit vinum forte in introitu pugnae, ut sit animosior & ferventior ad pugnandum & ne imaginetur omnia pericula, quae possunt evenire in pugna, ita eum, qui est tuus servus & tuus subditus, antequam pugnet pro Te, oportet esse potatum & calefactum amore, ut sit animosior & ferventior.

26. Multos homines video, *Domine*, animosiores, antequam sint in pugna, quam quando sunt in ea, & proponere multa facere, quae postea non faciunt, quia non sentiunt tantam animositatem; quare ego timeo, ne sim unus ipsorum, & ne sim nunc animosior, quam quando ero in pugna pro amore Tui.

27. Veruntamen ego, *Domine*, confido in tua dulci Misericordia, & pono in ea totam meam spem, & habeo fidem, quod, quoniam mihi nunc das desiderium & propositum moriendi pro tuo amore, mihi dabis mortem, quam desidero; & tunc, quando pugnabo ad dandum laudem de Te, mihi dabis fervorem & animositatem, quam nunc
mihi

mihi das; quia multò meliùs ero dignus recipere à Te donum gratiæ tunc, quàm nunc.

28. K. *Amator Domine, Spes & Confortatio omnium fidelium Christianorum!* Sicut pugnator debilis plus animositatis habet confidendo in fortitudine suorum sociorum, quàm in sua; ita ego, qui sum debilis & miser, plus animositatis & fervoris habeo confidendo in tua Fortitudine, quàm in mea.

29. Multos homines audio dicere, *Domine*, quòd essent valde animosi ad moriendum pro amore Tui, si veniret occasio, in qua infideles vellent eos occidere; & tamen video eos valde pusillanimes in inquirendo, quomodo sint Martyres pro amore Tui: igitur quare non cogitant, quòd, sicut habent pigritiam & pusillanimitatem in tractando, quomodo possint venire ad martyrium, ita eam haberent, si essent in loco & tempore, in quo infideles vellent eos occidere?

30. Pusillanimitas & pavor mortis, *Domine*, faciunt tacere veritatem coram credentibus

dentibus falsitatem & errorem: igitur, cum major veritas, quæ possit esse, sit, quòd tua gloriosa Essentia sit in Trinitate Personarum & in Unitate Essentiæ, & quòd divina Natura sit unita cum humana, ubi est animositas & audacia, quæ deberet esse in nobis in confitendo & prædicando infidelibus tuam sanctam Trinitatem & tuam gloriosam Incarnationem, quæ non dat ullam alterationem tuæ gloriosæ Deitati?

CAPUT CXXXVIII.

QUOMODO HOMO SIT SENSIBILIS Verecundia.

I. **O** *DEVS misericors, potens!* Tibi,
a. **O** *Domine,* sit gloria & honor semper; quia homines, qui sentiunt verecundiam in potentia rationali, habent bonam verecundiam per hoc, quòd, verecundia quam sentiunt, incedat per primum motum; sed homines, qui sentiunt verecundiam in potentia sensitiva, habent eam vanam & nullate-

nius

414 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
nus proficuum, quia incedit per secundum
motum.

2. Quoties homines, *Domine*, malè, & inordinatè utuntur sensibus corporalibus & sensibus spiritualibus, debent sentire verecundiam; quia omnes res, in quibus sunt defectus & inordinationes, debent adducere verecundiam.

3. Sed, quia fere omnes sumus inordinati in sensualitatibus & intellectualitatibus, *Domine*, ideo non verecundamur de illis rebus, de quibus deberemus verecundari, & verecundamur de illis, de quibus non deberemus verecundari.

4. b. *Beate Domine, in quo est omnis gratia & benedictio!* Quando transeo per loca, in quibus peccavi, & sum memor defectuum & peccatorum, quæ in eis feci, sentio magnam verecundiam, quam non sentiebam, quando in eis peccata faciebam; quia, si illam sensissem, ea non fecissem.

5. Quando tuus servus, *Domine DEVS*, sto ante tuum gloriosum Altare contemplan-
do in figura Crucis, & Crux mihi re-
presentat

præsentat gravem Pafsionem & angustiosam Mortem, quam sustinuiſti pro amore humani generis, tunc ſentio totum meum cor & meos oculos plenos verecundiâ ratione magnorum peccatorum, quæ commiſi contra Te, qui adeò dolorosè me recreaſti in ſancta Cruce.

6. Quando evenit, quòd ego, *Domine*, equitem, & ſim bene ſatiatus, & videam coram me homines pauperes nudos & eſurientes, habeo magnam rationem ſentien- di verecundiam; quia non habeo pietatem de ipsis, cùm adeò parum eis dem de bonis, quæ mihi commendaſti.

7. c. *O Domine DEVS, qui glorificas & beneficia Sanctos paradisi in perdurabili gloria!* „ Quando ſum in mea domo cum „ mea uxore & meis prolibus & cum mea ſo- „ cietate, & video me honorari & miniſtra- „ ri, ſum verecundus ex hoc, quòd mihi „ ſiant honorationes, quarum non ſum dig- „ nus; quia ſum culpabilior & injurioſior ho- mo totius meæ domus.

8. Naturaliter & ſecundùm rationem
omnis

416 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
omnis homo, *Domine*, qui non est dignus honorari, deberet sentire verecundiam, quando honoratur illâ honoratione, quæ ad eum non pertinet; sed, quia ego sum inordinatus & extra naturam omnium bonarum educationum & omnium bonarum consuetudinum, ideo evenit, quòd, quando mihi fiant honorationes, quæ ad me non pertinent, non sentiam verecundiam, quam deberem sentire.

9. Sicut ego, *Domine*, deberem verecundari ex hoc, quòd non sentiam verecundiam, quando homines me honorant illis honorationibus, quas non mereor, ita mihi videtur, quòd omnes illi deberent verecundari, qui me honorant plús, quàm ad me pertineat; quia æquè debent alii verecundari, si honorent aliquem plús, quàm deceat, sicut ipse, qui honoratur plús, quàm ad se pertineat.

10. d. *O Domine DEVS, qui dirigis & instruis omnes, qui in Te ponunt suam bonam spem! Multoties mihi accidit, quòd verecunder ex hoc, quòd non honorer, & ex hoc,*

hoc, quòd illudar & vilipendar & contem-
nar: unde, si ego memorarem & cogita-
rem meas culpas & meam vilitatem & pau-
perem locum, unde exivi, non haberem ve-
recundiam de illis rebus, de quibus debe-
rem verecundari, eò quòd de eis habeam
verecundiam.

11. Multoties mihi accidit, *Domine*,
quòd verecunder de confitendo mea gravia
peccata: unde, si considerarem, quòd ille
homo, de quo verecundor, possit esse æquè
peccator, sicut ego, non haberem tantam
verecundiam confitendi mea peccata; ve-
runtamen multò plús debet homo verecun-
dari ex hoc, quòd per verecundiam omit-
tat confiteri sua peccata, quàm ex confes-
sione ipsorum.

12. Si homines, *Domine*, verecundan-
tur ex confessione suorum peccatorum, quia
non vellent, quòd ipsa scirentur, multò
plús deberent verecundari ex commissio-
ne ipsorum; quoniam verecundia de pec-
catis multò propinquior deberet esse ope-
ribus, quàm confessioni, cùm per opera

generentur peccata, & per confessionem deleantur.

13. e. *Domine vere DEVS, qui es valde dignus & valde conveniens laudari & amari & timeri ab omnibus populis !* Multoties mihi accidit, quòd sim verecundus de rebus, de quibus non debet esse verecundia ; quia, quando facio vel dico aliquem errorem vel stultitiam, habeo verecundiam, quasi si essem talis & tam sapiens, quòd non possem errare nec delinquere : igitur, cùm ego sim nescius & plenus defectibus, unde mihi venit habere verecundiam, si faciam vel dicam aliquem defectum ?

14. Si liceret, *Domine*, multò majorem verecundiam deberet homo habere faciendo res rectas & perfectas, quàm faciendo res erratas & defectuosas ; quia propinquior est naturæ hominis defectus, quàm perfectio, cùm homo sit plus in defectu per culpam, quàm in perfectione per bona opera.

15. Si homo fortis, *Domine*, vincatur & superetur à debili, ratio exigit, quòd habeat

ve-

verecundiam; sed, si homo debilis vincatur & superetur à forti, non mihi videtur, quòd debeat habere verecundiam: igitur, cùm homo sit res adeò bona & nobilis, valde debet verecundari, quando peccatum, quod est res adeò vilis & parva & misera, eum vincit & prosternit & deviat à perdurabili gloria.

16. f. *O Domine potens, gloriose, amorose, abundans omnibus bonis: Cùm Tu virtuificaveris & nobilitaveris hominem super omnia animalia multis gratiis, quas ei fecisti, deberet omnis homo verecundari, quando facit defectum; quia defectus non est de genere & natura nobilitatis & bonitatis, imò est de genere & natura fragilitatis & miserix: igitur ratione hujus deberet omnis homo sentire verecundiam, quotiescunque faciat contra id, quod natura & ratio ab eo requirunt.*

17. In tempore præterito, quando ego, *Domine*, peccabam ratione meæ fragilitatis & miserix, verecundabar de defectibus, quos faciebam; & quando peccabam contra
bo-

bonitatem & virtutem, quam mihi dedisti, non verecundabar; & per hoc cognosco, quòd meæ verecundiæ fuerint inordinatæ; quia de illis rebus verecundabar, de quibus non debebam, & de illis, de quibus debebam verecundari, nullam verecundiam sentiebam.

18. Imposterum propono, *Domine*, verecundari verecundiis contrariis illis, quas habui tempore præterito; quia, si deficiam ratione meæ fragilitatis & miseræ, mea natura non me obligat ad verecundandum de rebus, quæ pertinent ad ipsam; sed, si deficiam contra nobilitatem & virtutem & gratiam, quam mihi dedisti, in quantum sum de specie humana, istæ res me obligant ad verecundandum, quoties faciam aliquid contra ipsas.

19. g. *Æterne Domine, sapiens super omnes sapientias, fortis super omnes fortitudines!* Viri & mulieres verecundantur, quando ostendunt partes turpes corporis, quas habent tectas suis vestibus, & non verecundantur, quando cum illis partibus exercent

lu-

luxuriam; & hoc est valde mirum, quia defectus est occasio sentiendi verecundiam, & ipse est propinquior operi luxuriæ, quàm ostensioni partium, cum quibus ipsa exercetur: igitur multò major deberet esse verecundia virorum & mulierum in opere luxuriæ, quàm in ostensione partium verendarum.

20. Cúm tuus servus, *Domine*, habuerit majorem verecundiam de viris & mulieribus, quàm de Te; & ipse sit multò culpabilior Tibi, quàm ipsis, quia plús peccavit contra Te, quàm contra ipsos, valde miror, quomodo possit habere de ipsis adeò magnam verecundiam sicut de Te.

21. Omnis vasallus debet plús verecundari, quando deficit & errat contra suum bonum Dominum, qui ei facit multum boni, quàm quando deficit & errat contra alium hominem sibi æqualem, qui ei non fecit ullum bonum: igitur, cúm Tu, *Domine*, sis adeò nobilis & honoratus, & tantam gratiam nobis facias, quomodo potest esse, quòd minús verecundemur, quando erramus

mus

mus contra Te, quàm quando erramus contra nos invicem?

22. h. *O Domine magne super omnes magnitudines, cui detur laus & honor!* Rationabile videtur, quòd homo debeat plus verecundari de mentiri, quàm de dicere veritatem, & de auferre à pauperibus, quàm de dare ipsis, & de induere se vestibus superbis, quàm humilibus; sed, quia plerique incedunt per vias inordinatas & extra rationem, propterea verecundantur de rebus, de quarum verecundia deberent verecundari.

23. Homines divites verecundantur, quando vident suos cognatos pauperes & miseros; sed Tu, *Domine*, qui es abundans omnibus divitiis & omnibus honorationibus, nunquam fuisti verecundatus, quando eras in hoc mundo inter tuos cognatos pauperes: & homines divites verecundantur in ecclesia ex hoc, quòd sint inter homines pauperes; sed Tu, *Domine*, non fuisti verecundatus ex hoc, quòd fueris crucifixus inter latrones.

24. Multi sunt homines, *Domine*, qui verecundantur de defectibus aliorum, & non verecundantur de suis; & multi verecundantur, quando ab eis petuntur dona disconvenientia & contra omnem rationem, & qui dona ab eis petunt, non verecundantur; & multi verecundantur, quando non dantur eis dona valde magna & majora & meliora, quàm ad eos pertineat, & non verecundantur, quando eis dantur talia dona.

25. i. *Gratiose Domine, amorose, plene gratiâ & amore!* Quando homo est in pugna, & videt suum Dominum mortuum, deberet verecundari, si fugeret, & ipsum relinqueret; sed ipse facit oppositum; quia, postquam fugit & reliquit suum Dominum mortuum, tunc verecundatur, quando verecundia nihil prodest; & quando verecundia prodesset, si eam haberet in campo, antequam fugeret, tunc non vult eam habere.

26. Multi verecundantur, *Domine*, quando aliquis eis repræsentat beneficia & placita,

placita, quæ eis facit: igitur, cùm tua figura nobis repræsentet in Cruce gravem mortem & graves labores, quos sustinuiſti pro amore noſtri; quomodo poteſt eſſe, quòd de hac repræſentatione adeò doloroſa non verecundemur?

27. Multi homines, *Domine*, verecundantur, ſi accedant ad homines religioſos & ſapientes & bonos Chriſtianos, & non verecundantur, ſi accedant ad homines vaniglorioſos & peccatores & plenos omnibus vitiis, & ſe aſſociant eis: igitur, cùm homines ſapientes & religioſi ſint arcæ & granaria, in quibus eſt theſaurus ſapientiæ & bonitatis, & homines ſuperbi vaniglorioſi & vitioſi ſint arcæ & granaria, in quibus eſt ignorantia, ingratitude & defectus; quomodo poteſt ullus homo verecundari ex hoc, quòd accedat ad illos, & non verecundari ex hoc, quòd accedat ad iſtos?

28. K. *Juſte Domine, virtuoſe, liberalis in omnibus bonis!* Quilibet debet laborare ad hoc, ut ſuus filius educetur & nutriatur in timore & verecundia; quia, ſi ſic educetur
&

Vo. II. Li. III. Di. XXVII. Ca. CXXXIX. 425
& nutriatur, naturale erit ei habere timorem & verecundiam de illis rebus, in quibus debet esse timor & verecundia.

29. Cúm Tu, *Domine*, non verecundaberis ex hoc, quòd fueris venditus & denudatus & flagellatus & contemptus & occisus, quis est, qui habeat verecundiam laudandi & honorandi Te & sustinendi ullum laborem pro amore Tui?

30. Si vasallus haberet verecundiam laudandi suum malum dominum, non mirarer: sed, cúm Tu, *Domine*, sis adeò nobilis & honoratus & bonus, quòd nulla bonitas nec ulla perfectio nec ulla honoratio sit comparabilis tuæ, valde miror, quoties video homines vanigloriosos habentes verecundiam laudandi tuam Essentiam divinam.

CAPUT CXXXIX.

QUOMODO HOMO SIT SENSIBILIS Zelotypiæ.

1. **O** *DEVS* gloriose, amorose! Benedic-
a. tus sis Tu, *Domine*, & omne, quod
tuum

tuum est ; quia per nimium amorem homo devenit zelotypus de illa re, quam amat; & hoc est, quia amor facit hominem imaginari & cogitare omnes defectus, qui possunt esse in re, quam amat nimio amore.

2. Per hoc, quòd homo, *Domine*, in persona, quam valde amat, cogitet & imaginetur plùs & frequentius vitia & defectus, qui possunt esse in ea, quàm virtutes, quæ æquè possunt esse in ipsa, fit citius zelotypus, quàm per ullum alium modum; quia adeò cogitat & imaginatur defectus & vitia, & adeò obliviscitur virtutes, quòd res, quæ sunt possibiles, videantur ei impossibiles, & res, quæ sunt impossibiles, videantur ei possibiles.

3. Igitur propterea, *Domine*, si vir vel mulier sentiens zelotypiam velit eam mortificare, imaginetur & cogitet bonos mores & virtutes, quæ possunt esse, & obliviscatur defectus & vitia, quæ possunt evenire, & æquè recipiat signa & similitudines, quæ dant significationem de virtutibus, sicut quæ dant significationem de vitiis.

4. b. *Iuste Domine, virtuose, potens in omnibus bonis!* Si homo non amaret suos cognatos vel suam uxorem, non haberet zelotypiam de eis: igitur, cum ipse debeat tantum amare se ipsum, quantum ipsos, deberet prius respicere defectus, quos facit, quando est zelotypus; & si homo cognosceret defectus, qui sunt in se, non esset adeo zelotypus de defectibus, qui sunt in aliis.

5. Sicut intellectus hominis turbatur per magnum gaudium vel per magnum pavorem in tantum, quod non sciat habere sensum nec attendentiam ad id, quod facit & dicit, ita turbatur, *Domine*, per nimiam zelotypiam, & non scit ita inquirere in sua uxore vel in re, de qua est zelotypus, quod sciat percipere veritatem facti; imò zelotypia facit eum putare esse in veritate id, quod est in falsitate, & esse in falsitate id, quod est in veritate.

6. Sicut homo cœcus, qui vadit per desertam in tenebris, quandoque incedit per vias & quandoque extra vias, quandoque cadit

418 B. Raym. Lulli Lib. Contempl.
cadit in foveas, & quandoque surgit, ita
accidit, *Domine*, homini zelotypo; quia tan-
quam cœcus imaginatur & cogitat & con-
siderat & inquirat & loquitur & facit quid-
quid facit, & quandoque cogitat veritates
& quandoque falsitates, & quidquid facit
& dicit, facit & dicit casu & sinè ulla dis-
cretionem.

7. c. O *Domine magne, excellens, alte super
omnes altitudines* ! Adeò mala res est zelo-
typia, quòd plùs noceat homini ipsa, quàm
defectus & vitia illius personæ, de qua est
zelotypus; quia ratione zelotypiæ deridetur
à gentibus plùs, quàm ratione illorum de-
fectuum; & zelotypia dat homini plures la-
bores, quàm defectus personæ, de qua est
zelotypus.

8. Zelotypia est res adeò mala & adeò
disordinata in se ipsa, *Domine*, quòd multò
plùs torqueat hominem, quando eam habet
contra veritatem, quàm quando eam habet
secundùm veritatem; & per hoc potest cog-
nosci, quòd zelotypia nihil aliud sit, quàm
mors; quia sicut mors est eò gravior, quò
plùs

plús contrariatur vitæ, ita zelotypia est eò fortior & pejor, quò plús contrariatur veritati.

9. Adeò appropinquant & participant adinvicem zelotypia, & mors, *Domine*, quòd zelotypia adducat homini mortem, & faciat eum proditorem & falsum & considerandum & suspiciosum & iracundum & anxium; & zelotypia inducit hominem ad faciendum stultitias, per quas perveniat ad mortem corporalem & spiritualem; & adeò mala est zelotypia, quòd nulla res exponat hominem tot periculis mortis, quot ipsa eum exponit.

10. d. *O Domine honorande! O Domine amande! O Domine metuende!* Non est ulla res in toto mundo, per quam homo fiat adeò injuriosus, sicut per zelotypiam; quia homo zelotypus nulli rei parcit, & illos, qui nihil mali merentur, malè tractat & torquet, & de illis, qui malum merentur, non scit sumere vindictam.

11. In toto mundo non est ullus homo, *Domine*, qui adeò malè sciat castigare sicut

zelotypus; quia homo zelotypus est adeò iracundus & plenus malâ voluntate, & habet intellectum adeò excœcatum, quòd non sciat corrigere ullam personam; imò quando putat aliquam corrigere, & meliorare, facit res, per quas eam deteriorat, & hoc provenit ex eo, quòd ipse non faciat nec dicat aliquid secundùm rationem & discretionem.

12. Bona mulier, *Domine*, si vult, quòd suus maritus non sit zelotypus, sit ei amoroſa & jucunda, & non det ei ullam significationem, propter quam debeat esse zelotypus; & quò plus suus maritus eam percutit & inhonorat ratione zelotypiæ, eò plus conetur eum amare & honorare & ei servire; & si hoc faciat, in fine oportebit eam vincere zelotypiam ipsius.

13. e. *O Domine DEVS, qui ordinasti mundum in tali statu, quòd homo in eo possit Te multùm amare & Tibi servire, si velit!*
 In domo hominis zelotypi sunt omnia mala, & deficiunt omnia bona, quia omnes viventes in ea habent malum & afflictionem & laborem

laborem per zelotypiam illius, & quando accidit, quòd vir fit zelotypus de sua uxore propter aliquem virum viventem in sua domo, zelotypia est peior, quæ esse possit; quia zelotypus est vir in sua domo, zelotypus de ea exit, & zelotypus est extra domum, & zelotypus ad eam revertitur: igitur ista zelotypia non habet aliud consilium, nisi quòd maritus ejiciat de sua domo illam personam, propter quam est zelotypus.

14. Non est ullus homo, *Domine*, adeò reprehensibilis de sua zelotypia, sicut senex, qui in sua senectute duxit uxorem juvenem; quia sua senectus & juventus uxoris sunt ei occasio zelotypiæ; & quando, *Domine*, ipse deberet ire ad mortem & ad finem suorum dierum lætus & jucundus dando laudem de Te, & habere amorem erga Te, ratione suæ zelotypiæ finit suam vitam tristis & plenus melancholiâ & irâ & suspitione & malevolentia.

15. Sicut homo senex est zelotypus de sua pulchra uxore juvene ratione disconvenientiæ ætatis, quæ est inter eum & suam uxorem,

uxorem, ita, *Domine*, si vellet, posset mortificare suam zelotypiam ratione virtutum, quæ sunt æquè possibiles in sua uxore, sicut vitia; quia, sicut vitia habent occasionem essendi in sua uxore ratione senectutis mariti & juventutis sui ipsius, ita virtutes habent occasionem essendi in ea ratione sapientiæ & verecundiæ & ratione timoris malæ famæ.

16. f. *DEVS*, qui es Pater & Dominus omnium creaturarum! Multi viri scienter dant suis uxoribus occasionem zelotypiæ; & similiter multæ mulieres scienter dant suis maritis occasionem zelotypiæ; sed, si ipsi scirent, *Domine*, quàm faciliter zelotypia intret & quàm difficulter exeat, hoc non facerent.

17. Adeò mala res est zelotypia, *Domine*, quòd non recipiat excusationes, imò, quòd plús bona mulier se excusat suo malo marito zelotypo, eò plús crescit in eo zelotypia, & videtur ei illas excusationes esse falsitates & fraudes & astutias, quibus sua uxor velit eum decipere.

18. Viri

18. Viri zelotypi putant, *Domine*, quòd sicut aliæ mulieres cum eis faciunt falsitates & fraudes suis maritis, ita suæ uxores faciant eas ipsis; & propterea nihil valent suis bonis uxoribus ullæ excusationes apud ipsos: unde isti tales possent mortificare suam zelotypiam, si cogitarent & æstimerent, quòd excusationes & defensiones suarum uxorum possint esse ita veræ ratione bonitatis, quæ est in eis, sicut falsitates & fraudes, quas ipsi ratione suæ malitiæ faciebant cum aliis mulieribus.

19. g. *Rex amorose, qui recreasti & beneficiasti tuum populum!* Viris zelotypis habentibus malas uxores multò melius esset non scire defectus earum, quàm eos scire; quia, quò plus eos percipiunt, eò plus sunt in dolore & tristitia: igitur, quoniam melius esset eis, *Domine*, non scire, quàm scire defectus suarum uxorum; quare sunt adeò nescii, quòd inquirent id, quod est sua mors & sua destructio?

20. Qui vult sanari ab infirmitate zelotypiæ, *Domine*, non cogitet nec imagine-

E e

tur

tur defectus nec vitia, quæ suæ uxori sunt
possibilia, & imaginetur & cogitet tuas Per-
fectiones & Virtutes & tuam Bonitatem &
Honorationem; quia talibus cogitationibus
& considerationibus sanatur homo ab om-
nibus languoribus & ab omnibus infirmita-
tibus.

21. Sicut pulchritudo corporalis dispo-
sitionis & ornamenta vestium & significa-
tio paucæ virtutis, & cogitare defectus, qui
possunt evenire, sunt occasio zelotypiæ, ita
fœditas dispositionis corporalis & humiles
vestes & usus bonarum consuetudinum, &
cogitare virtutes, quæ possunt esse, sunt ho-
mini occasio, ne sit zelotypus.

22. h. *Sapiens Domine in omnibus sapien-
tius, potens in omnibus viribus!* Homines
fiunt zelotypi per hoc, quòd recipiant & se-
quantur signa significantia defectus, & non
velint recipere nec sequi signa significantia
virtutes & bonas consuetudines.

23. Adeò est zelotypia res falsa & fal-
lax, *Domine*, quòd modica similitudo vel
significatio mali, quam vir zelotypus videat
in

in sua uxore, ponderet in eo tantum, quantum magna significatio vel similitudo bonitatis & castitatis & fidelitatis, quam videt in ipsa; & propterea vir zelotypus est in magno labore nocte & die, quia non scit, quibus significationibus credat, scilicet an illis, quæ ei significant malum de sua uxore, an verò illis, quæ ei significant bonum de ipsa.

24. Zelotypia, *Domine*, est adeò angustiosum & molestum malum, quòd nocte & die det homini laborem, & faciat eum abhorretere & deamare cibum & potum & somnum & solatium & odire suos amicos & cognatos, & faciat eum esse immemorem Tui amoris & tuæ laudis & orationis: igitur, cùm zelotypia sit adeò grave malum, valde miror de illis, qui eam habent, quomodo possint vivere & durare ferendo mala, quæ veniunt ab ipsa.

25. i. Tibi, *Domine DEVS*, sit gloria & honor omni tempore; quia omnis homo zelotypus nihil deberet facere nec dicere, dum sentit zelotypiam; quoniam ea, quæ facit
&

& dicit, dum est comprehensus ab ipsa, postea cognoscit non esse, sicut ipse putabat & affirmabat, imò esse totum contrarium.

26. Tu, *Domine DEVS*, sis laudatus & benedictus; quia per hoc, quòd zelotypia deformiùs stet in viris, quàm in mulieribus, dedisti mulieribus plus verecundiæ & timoris, quàm viris, ut ipsæ per verecundiam & timorem fugiant à faciendo res, ratione quarum viri incidant in zelotypiam.

27. Quia naturale est mulieribus habere plus verecundiæ & timoris, quàm viris, ideo mulieres non labuntur ita frequenter in cœnum luxuriæ, sicut viri, qui generaliter non sunt adeò casti, sicut ipsæ sunt; nam verecundia & timor, *Domine*, faciunt mulieres fugere cogitationes & considerationes & imaginationes luxuriæ, & propterea sunt castæ; & quia verecundia & timor fere non est in viris comparatione mulierum; propterea viri plus admittunt imaginationes & cogitationes & considerationes

lu-

luxuriæ, per quas fiunt luxuriosi & inobedientes tuis mandatis.

28. K. O Domine DEVS, qui timeris ab omnibus populis & memoraris in nostris necessitatibus! Adeò est zelotypia res vitiosa & mala, quòd de sua natura & proprietate fit semper crescere & multiplicari, dum homo se sinat duci & vinci ab ea; & quò plus ipsa crescit & multiplicatur in homine, eò plus ipsum torquet.

29. Mala zelotypiæ, Domine, sunt tot & adeò gravia, quòd pro uno placito, quod homo zelotypus sentit, sentiat centum displicita, & pro uno displicito, quod aliquis facit ei, perdat centum placita, quæ ei fecit, & pro una veritate, quam homo zelotypus dicit, dicat centum mendacia: igitur quænam mala sunt similia malis zelotypiæ?

30. Qui vult invenire iram & dolorem & tristitiam & cogitationes & errores & defectus & ingratitude & rusticitates & fraudes & prodiciones & pericula & graves labores & sollicitudines, vadat, Domine, ad
ho-

hominem zelotypum; quia omnes istas res in eo inveniet, ratione quarum semper est in periculo perdendi gratiam & benedictionem sui Domini DEI.

CAPUT CXL.

QUOMODO HOMO SIT SENSIBILIS VANÆ GLORIÆ.

1. **O** *DEVS* gloriose, Pater & Domine omnium creaturarum, abundans omnibus bonis! Occasio vanæ gloriæ est, Domine, potentia sensitiva per hoc, quòd ipsa velit hominem attribuere sibi virtutem & nobilitatem, quæ non venit ab eo, & velit defectus & vilitates & miserias, quæ veniunt ab eo, non attribui ipsi.

2. Cùm potentia sensitiva, Domine, venerit de privatione in *esse*, & omnis res, quæ venit de non *esse*, sit per suam naturam pauper & misera, quando evenit, quòd ipsa sit in *esse*, & velit habere honorationem & divitias, & velit dare sibi id, quod ad se

non

non pertinet, cadunt homines, qui ei consentiunt, in vanam gloriam.

3. Quando potentia sensitiva recepit dona gratiæ à Te, *Domine*, & ea attribuit sibi & non Tibi, tunc homines sunt vani-gloriosi de illis donis, pro quibus deberent esse tui laudatores & servi & grati Tibi, à quo ipsa receperunt.

4. b. *O virtuose Domine, potens, gratiose, amorose!* Sicut in homine potentia sensitiva est fundamentum vanæ gloriæ, quando est domina, ita potentia rationalis est subiectum & fundamentum humilitatis & contemptus omnium vanitatum, quando est domina; quia, sicut vana gloria incipit in potentia sensitiva per peccatum, ita deletur & consumitur in potentia rationali per humilitatem.

5. Vana gloria consumitur & deletur in ratione hominis, *Domine*, per hoc, quòd ratio distinguat & faciat differentiam inter bona gratiæ & mala culpæ, quæ sunt in homine; & bona gratiæ det & attribuat Tibi, & vilitates & fragilitates, quæ sunt in homine,

mine, det & attribuat ipsi, & propterea quando homo utitur ratione, non habet vanam gloriam de rebus, quæ non sunt suæ.

6. Quando homo, *Domine*, memorat tuas virtutes & tuas bonitates, & vilitates & misérias, quæ sunt in se ipso, & dat & cognoscit Tibi hoc, quod est tuum, & sibi ipsi hoc, quod est suum, tunc habet occasionem & modum humiliandi se Tibi, & ex-eundi à viis vanitatis & vanæ gloriæ.

7. c. *Domine vere DEVS, liberalis ama-tor omnium bonorum, honorate in omnibus ho-norationibus!* Occasio, per quam vana glo-ria intrat in hominem, est potentia imagi-nativa, quæ multoties casualiter imaginatur honorationes & vanitates hujus mundi; & dum mens hominis casualiter imaginatur aliqua bona, quæ sunt in homine, potentia sensitiva eam inclinât ad se, ne ascendat ad rationem, & ut habeat vanam gloriam illarum rerum, per quas haberet humilitatem, si mens cum discretionem ascenderet ad ra-tionem.

8. Multoties evenit, *Domine*, quòd, quando homo habet suam mentem in vana gloria, & sensualitas eam ducit imaginando ad id, quod vult, & facit eam sentire vanam gloriam de eo, quod vult, tunc veniat potentia rationalis & attrahat ad se mentem, & auferat eam à sensitiva, & extrahat eam de viis vanæ gloriæ, & faciat eam habere contritionem & poenitudinem de vana gloria, in qua erat.

9. Cúm sit contrarietas inter rationem & sensualitatem hominis, *Domine*, in tantum, quòd ratio mortificet vanam gloriam, & eam deleat, & sensualitas eam generet & multiplicet, omnis homo, qui vult hoc experiri in se ipso, poterit invenire ita esse, dummodo sciat cognoscere proprietates & naturas potentiarum animæ.

10. d. *O singularis Domine sine pari & socio!* Cúm composueris & univeris hominem ex corpore & anima, & utrique dederis dona & gratias, homines, qui non cognoscunt & attribuunt Tibi dona & gratias, quas habent à Te, per suam culpam sunt

vanigloriosi ; quam vanam gloriam habent quidam de pulchritudine corporali, sicut de pulchra facie vel de robusto corpore vel de pulchra dispositione ipsius; & alii eam habent de scientia vel industria vel subtilitate vel aliis virtutibus pertinentibus ad animam.

11. Quando homo, *Domine*, est vanigloriosus de bonis sensualibus vel de intellectualibus habendo vanam gloriam de illis bonis, quæ ei dedisti, ideo est vanigloriosus, quia ea cognoscit & attribuit sibi & non Tibi, qui ea ipsi dedisti.

12. Cúm homo, *Domine*, omnia bona, quæ habet, sive corporalia sive spiritualia habeat à Te, qui illa bona ei dedisti, & ex parte sui non habeat ullum bonum, quomodo potest esse vanigloriosus? Si homo haberet à se ipso & de se ipso bona, quæ habet, quantam vanam gloriam haberet, cúm nunc, quando bona non sunt à se ipso nec de se ipso, tantam habeat?

13. e. O *Domine DEVS*, qui amas dona misericordie & dulcedinis & pietatis! Vana gloria est res adeò mala & viscosa, & adeò

Vol. II. Lib. III. Dist. XXVII. Cap. CXL. 443.
adeò profundatur in homine, ut per omnes
sensus corporales & spirituales se extendat
& diffundat; & ideo vana gloria vadit per
omnes extremitates hominis, & non est ullus
homo in hoc mundo, in quacunque arte
vel officio sit, in quo vana gloria non sit vel
possit esse.

14. Vana gloria, *Domine*, vadit per Re-
ges & Principes & altos Barones & per om-
nes gentes hujus mundi; & quò plura bona
temporalia habent homines, eò plùs sunt
parati ad vanam gloriam; & vix potest ali-
quis se defendere ab ipsa, nisi mortificet in
se suam potentiam sensitivam cum poten-
tia rationali.

15. Qui vult inquirere & invenire, in
quibus hominibus habitet vana gloria, eat,
Domine, ad illos, qui possident magnas de-
lectationes & possessiones & divitias, & qui
laudantur à gentibus de largitate & de do-
nis & honorationibus & de pulchris orna-
mentis.

16. f. *O Domine vere DEVS, qui es
suprema Bonitas, de qua omnia alia bona re-
cipiunt*

444 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
cipiunt benedictionem & gratiam! Adeò
sunt homines hujus mundi amatores vanæ
gloriæ, quòd de bono & de malo, quod fa-
ciunt, habeant vanam gloriam; quia de
distributione eleemosynarum & de largita-
te & de misericordia & de castitate & de
continentia sibi dant vanam gloriam, & si-
militer eam sibi dant de fraudibus & latro-
ciniis & homicidiis & luxuriis & aliis
malis.

17. Homines, qui sunt vani-gloriosi,
quando faciunt bona opera, *Domine*, sunt
vanigloriosiores, quàm qui sunt vani-glo-
riosi, quando faciunt mala opera; quia, qui
vani-gloriantur de bono, vani-gloriantur
de bonis, quæ veniunt à Te & non à se ip-
sis; & qui vani-gloriantur de malo, vani-glo-
riantur de rebus, quæ veniunt à se ipsis &
non à Te.

18. Igitur, quia est major defectus da-
re sibi vanam gloriam de bonis operibus,
quàm de malis; propterea, *Domine*, homi-
nes facientes bona opera sunt plus incitati
ad vanam gloriam, quàm facientes mala
opera.

19. g. *Domine sancte super omnes sanctitates, Domine gloriose super omnes glorias!*
Quando homo sentit vanam gloriam absque magno fervore & animositate, stat vana gloria in potentia imaginativa; sed quando eam sentit cum fervore & animositate, stat in potentia rationali.

20. Quando humana mens, *Domine*, casualiter imaginatur aliquas res, de quibus sentit vanam gloriam, tunc cadit homo in peccatum veniale, quia non potest semper habere mentem in sua potestate, imò ipsa eo invito imaginatur multas res casualiter.

21. Sed quando evenit, *Domine*, quòd mens hominis sentiat vanam gloriam occasionatam à fervore & animositate, quam potentia sensitiva facit eam sentire, tunc cadit homo in peccatum mortale ratione vanæ gloriæ; quia, quando sensitiva sentit vanam gloriam de re, quæ non est sua, tunc ratio est ei subdita, & mens hominis non est in vana gloria casualiter, sed occasionatè.

natè.

22. h. *Pie Domine, plene dulcedine & misericordiâ!* Quidam homines habent vanam gloriam occultam in sua anima, & quidam eam ostendunt in suis sensualitatibus: habentes vanam gloriam occultam in sua anima sunt illi, qui eam exteriùs non ostendunt, imò eam occultant; sed ostendentes vanam gloriam in suis sensualitatibus sunt illi, qui petunt & inquirunt famam, quam habent apud alios, & quid alii dicant de ipsis.

23. Multi homines, *Domine*, habent tantam vanam gloriam, quòd, dum vivunt in hoc mundo, vani-glorientur de rebus, quæ sunt in sua vita, & de rebus, quæ erunt post suam mortem; quia non solùm volunt habere vanitatem in vita, sed etiam post mortem in hoc, quòd velint laudari & nominari & memorari à gentibus, & ad hunc finem faciunt multas res, ut gentes loquantur de eis post suam mortem.

24. In pejori statu & conditione est, *Domine*, pauper vanigloriosus de sua paupertate

pertate & de suo vili statu, quàm dives vanigloriosus de suis divitiis & de suis nobilibus vestimentis; quia pauper, qui vanigloriatur, sequitur vestigia hypocrisis, quæ participat cum fraude & simulatione & falsitate, & dives, qui vanigloriatur de suis divitiis, demonstrat illas res, de quibus vanigloriatur; & sic non habet intentionem fallendi nec decipiendi aliquem.

25. i. *Domine alte super omnes altitudines, Domine magne super omnes magnitudines!* Quando tuus servus & tuus subditus sto ante tuum Altare in oratione & contemplatione, tunc vana gloria invadit & perturbat totam meam animam & omnia mea verba, & non superest mihi aliud consilium, nisi abstrahere meam mentem ab illa imaginatione & ab illa sensualitate, de qua mihi venit vana gloria, & eam transferre ad rationem, quæ distinguit tuas nobilitates & meas vilitates.

26. Valde miror, *Domine*, unde veniat, quòd ego sim adeò vanigloriosus; quia quando bene confidero & cogito, non possum

sum in me invenire ullam rem, de qua debeam habere vanam gloriam; quoniam de defectibus & culpis & fragilitatibus, quæ sunt in me, video, quòd non debeam gloriari, cùm gloria non debeat esse de re, in qua est defectus; & quando cogito bona, quæ feci & facio pro amore Tui, invenio, quòd non debeam gloriari, cùm similia fecerim pro amore hominum.

27. In toto mundo non videtur mihi, *Domine*, esse adeò malum carcerem nec adeò magnam servitutem, sicut est carcer & servitus hominis vanigloriosi; quia, ut possit habere gloriam & famam apud homines, se captivat & subdit multis malis dominis ingratis & multis laboribus & indigentis & anxietatibus & periculis, & non adeò servit & obedit suis malis dominis, quòd veniat ad finem illarum rerum, de quibus vult habere gloriam & placitum.

28. K. Omnis gloria & altitudo & honoratio cognoscatur Tibi, *Domine DEVS*; quia homo vanigloriosus non habet aliud officium, nisi laudare res viles supra nobi-
les,

Vol. II. Lib. III. Dist. XXVII. Cap. CXL. 449
les, & vilipendere res nobiles sub vilibus; & propterea homo vanigloriosus est mendax & latro & ingratus & superbus & plenus omnibus vitiis.

29. Quid valet homini, *Domine*, habere gloriam de amicis & cognatis, quoniam mors eos occidit & removet ab eo, & malevolentia facit eum devenire in iram ipsorum? & quid valet gloria scientiæ, quoniam homo non utitur eâ, & quotidie deficit & errat? & quid valet gloria pulchritudinis & sanitatis, quoniam morbus alterat & aufert eas ab homine? & quid valet gloria divitiarum, quoniam homo eas relinquit vel ipsæ relinquunt eum? & quid valet gloria laudis, amoris & honoris, quoniam omnes istæ res transeunt & non redeunt?

30. Cùm vana gloria, *Domine*, sit tanta in hoc mundo, quinam erunt, qui poterunt fugere ab ea? nam omnia loca sive plana sive montuosa sunt plena & cooperta vanâ gloriâ; & propterea nullus homo potest fugere ab ea, nisi mortificet suam sensualitatem cum memoria suæ vilitatis, & nobilitatis

F f

tatis

CAPUT CXLI.

QUOMODO HOMO SIT SENSI-
bilis Superbia.

1. **O** *DEVS* virtuose ! Tibi fiat reve-
rentia & honor omni tempore &
omni, quod tuum est ; quia Tu, *Domine*,
fcis, quòd superbia sit radix omnium defec-
tuum & omnium malorum in hoc, quòd
omnis homo, dum est superbus, vilipendat
omnes, qui sunt majores & æquales & mi-
nores ipso, & ratione hujus vilipensionis ho-
mo superbus est paratus, ut sit occasio om-
nium malorum.

2. Ista sensualitas superbiæ est in homi-
ne, *Domine*, accidentaliter per hoc, quòd
ipse venerit de privatione in *esse*, & est in
eo per secundum motum proveniente à
potentia sensitiva, & per hoc, quòd ipse se-
quatur naturam hujus potentia, quæ exci-
tat eum ad amandum se ipsum plus, quàm
ullam

Vol. II. Li. III. Dist. XXVII. Cap. CXLI. 45 1
ullam aliam rem, ratione cujus amoris discognoscit homo vilitatem, quæ in se est, & nobilitatem, quæ est in rebus, quas contemnit, & per istam discognitionem sensualitas facit hominem esse superbum.

3. Radices & fundamenta, in quibus generatur superbia, *Domine*, sunt res habentes defectus & fragilitates & miserias; quia, quando homo vult dare honorem illis rebus, per quas est fragilis & miser, tunc vult exaltare id, quod est indignum exaltari; & quò plus vult hoc facere, eò plus fit superbus.

4. b. *Liberalis Domine, sapiens in omnibus scientiis, honorate in omnibus honorationibus!* Homo fit superbus ratione ignorantia, quam habet de vilitate & fragilitate & miseria, quæ sunt in rebus, de quibus ipse superbit; quia, si homo cognoscere vilitatem & miseriam, quæ est in illis rebus, de quibus superbit, non haberet occasionem superbiendi.

5. Homines superbi, *Domine*, quò plus putant amari & laudari & honorari & appreciari

pretiari à gentibus, eò plús contemnuntur & odiuntur & maledicuntur; & ita, quando ipsi putant ascendere per superbiam, descendunt.

6. Si ita esset, quòd homo haberet rationem superbiendi per habere divitias & sapientiam & fortitudinem & alias virtutes, magnam rationem haberes, *Domine*, essendi superbus, quia nullæ divitiæ nec ulla potestas nec sapientia nec honoratio nec ulla bonitas est comparabilis cum tua; sed, quia superbia est res adeò mala, quòd non possit fundari in ullo bono nec associari cum eo, quia tota sua natura stat in defectu; propterea oportet eam nullatenus esse in Te; quia in illa quantitate, in qua ipsa esset in Te, esset etiam in Te defectus.

7. c. *DEVS* magne, sapiens, abundans omnibus bonis! Homo superbus, *Domine*, plerumque putando esse in dominio est in servitute, & putando facere bonum, facit malum, & putando dare aufert, & putando honorare inhonorat, & putando ascendere descendit, & putando mundare conspurcat.

cat.

8. Igitur, cùm homo superbus, *Domine*, fallatur & decipiatur in omni, quod putat de se ipso, quænam res est adeò vilis & pauper & misera, & quænam est adeò propinqua naturæ bestiali, & quænam habet adeò parum rationis & intellectus sicut homo superbus?

9. Adeò est superbia res in natura contraria bono, *Domine*, quòd quando ipsa incipit intrare in hominem, statim virtutes incipiant de eo exire, & vitia & mala statim incipiant in eum intrare; quia, sicut est discordantia & contrarietas inter *esse* & non *esse*, ita est discordantia & contrarietas inter superbiam & bonitatem.

10. d. *Rex large super omnes largitates, Rex nobilis super omnes nobilitates!* Adeò est superbia res vitiosa & plena omnibus malis, quòd omnes homines, in quibus ipsa est, & cum quibus participat, incedant per vias periculosas & obliquas & asperas, & dum sunt superbi, non possint facere ullam rem, quæ sit bona.

11. In

11. In toto mundo, *Domine*, non est ullus homo adeò malè vestitus & ornatus sicut homo superbus; quia superbia est vestis adeò misera & mala & adeò malè stans in homine, quòd omnia vitia, quæ sunt in eo, demonstret, & revelet, & nullum occultet, & quò plus homo superbit, eò plus manifestat omnes malitias & falsitates, quas habet in se ipso.

12. Superbia, *Domine*, deviat hominem à justitia & misericordia, quia homo superbus omnibus rebus facit injuriam & nulli ignoscit; & quò plus superbit, eò plus se elongat à viis justitiæ & misericordiæ.

13. e. *Excellentissimus Domine super omnes altitudines, à quo derivantur & descendunt omnes veritates!* Cùm superbia sit res adeò vilis, quòd, si in mundo non esset nisi unus homo superbus, totus mundus inde minus valeret, quantum est mundus vilificatus & deterioratus per superbiam tot hominum superborum, qui sunt in eo?

14. Benedictus sis, *Domine DEVS*, quia, sicut hic mundus est plenus superbiâ,
ita

ita in alio est homo occasionatus, ut sit absque ulla superbia; quia, qui sunt in paradiso, nullatenus sunt superbi, cum superbia non sit nec debeat esse in gloria, & qui sunt in inferno, habent adeo magnam poenam & miseriam, & sunt adeo vilipensi, quod non habeant rationem nec occasionem superbiendi, licet daemones per invidiam facti sint superbi.

15. Non est ullus uter plenior vento nec ulla hydria plenior aqua, *Domine*, quam homo superbus superbia; quia uter & hydria non sunt pleni nisi intra, & homo superbus est plenus intra, & extra; quoniam intra est plenus per id, quod habet in se, & extra est plenus per cognatos & amicos & famam gentium.

16. f. *O magne Domine, complementum omnium bonorum, honorate in omnibus honorationibus!* In illa quantitate & magnitudine, in qua est superbia in homine superbo, est in eo fragilitas & miseria; quia defectus sunt ei occasio superbiae, & superbia est ei occasio defectuum.

17. Si-

17. Sicut, qui occidit leænam prægnantem, occidendo eam occidit leunculos, quos habet in ventre, ita, *Domine*, qui in se mortificat & destruit superbiam cum humilitate, occidit & destruit in ea alia vitia; quia, sicut leæna est mater suorum leunculorum, ita superbia est radix aliorum vitiorum.

18. Cúm superbia sit principium omnium malorum, & tuus subditus sim eâ plenus & involutus, & ipsa me præcipitaverit in infimos terminos peccati, peto à Te gratiam, *Domine*, ut auferas à meo corpore & à mea anima sensibilitatem superbiæ, & me eleves & exaltes ad altitudines, ad quas homo ascendit per vias plenas misericordiâ & humilitate.

19. g. *Domine gloriose, qui es super omnes dominos, & es causa omnium bonorum!* Modus hominis superbi est, quando non potest fallere, & decipere fallaciis & astutiis, cogere homines & eos stringere suis superbis viribus & inurbanis verbis; quia, sicut superbia eum inducit ad falsitates & fraudes

des & astutias, ita eum inducit ad injurias & ad loquendum verba superba.

20. Adeò mala res est superbia, *Domine*, quòd nullus homo, qui sit familiaris vel vicinus hominis superbi, possit habere pacem nec securitatem nec quietem; quia vel fallitur vel decipitur vel cogitur vel vilipenditur vel inhonoratur vel contemnitur ab ipso: igitur beati sunt, qui sibi cavent à consortio & societate hominum superborum.

21. Homo superbus, *Domine*, semper est contra res meliores & nobiliores; quia vult exaltare res, quæ sunt inferiores per fragilitatem & miseriam; & propterea quòd plus est superbus, eò plus vult exaltare infirmiores res, & quòd plus eas vult exaltare, eò plus eas supprimit & præcipitat.

22. h. *Divine Domine, qui beneficias omnes creaturas!* Si est magna fatuitas & amentia, quòd homo leprofus vel paralyticus superbiat de sua lepra vel paralyysi, multò major fatuitas & amentia est finè omni comparatione in hominibus superbis, qui superbiunt

biunt de abundantia bonorum temporalium transitoriorum.

23. Est, *Domine*, in toto mundo major fatuitas & amentia, quàm hominem superbire de rebus, quæ non sunt suæ, nec venerunt ab eo, nec sustentur ab eo, imò sunt tuæ & venerunt à Te, & sustentur à Te!

24. Nullus homo, *Domine*, habet in se tot defectus, quot habet superbus, nec ullus homo est adeò magnus reprehensor & derisor, sicut ipse, & hoc est contra omnem rationem & contra omnem ordinationem; quia, sicut ipse est vilior & vitiosior aliis, ita videtur, quòd plus aliis deberet reprehendi & irrideri.

25. i. *Domine coactor & victor omnium rerum!* In toto mundo non sunt homines adeò superbi sicut illi, qui sunt vilium operum & consuetudinum, & putant esse boni & bonorum operum & consuetudinum.

26. Adeò magna est vilitas, in quam superbia me prostravit, *Domine*, quòd, nisi tua Humilitas esset tanta, separarem meam

spem

spem à tua Misericordia; sed, quia cogito, quòd Tu sis nobilior per Humilitatem, quàm ego vilis per superbiam, propterea non despero de tua Misericordia, licèt superbia me comprehenderit in sua vilitate & miseria.

27. Quoniam tua dulcis Humilitas, *Domine*, est infinita & æterna, & mea superbia est finita & principiata, placeat Tibi, quòd tua Humilitas vincat & superet & deleat meam superbiam, quæ me facit deficere & errare contra Te, qui es Pater omnium bonorum & Dominus omnium meorum directionum.

28. K. *O sancte Splendor, à quo omnes alii splendores recipiunt benedictionem & gratiam!* De magna superbia, quæ est in me, *Domine*, conqueror apud Te, quia adeò sum superbus, quòd, quando video aliquem hominem errare per iram vel aliquam aliam occasionem errandi, quam habet, tunc ratione meæ superbiæ contemno ipsum, qui non tantum errat, quantum ego errarem, si essem in illa ira vel in illa occasione, in qua

qua ipse est.

29. Superbia, *Domine*, est radix, in qua incepit primum peccatum; quia per superbiam ceciderunt diaboli de paradiso; & quia superbia est radix, in qua incepit primum peccatum, ideo ipsa est principium omnium malorum.

30. Sicut superbia, *Domine*, fecit descendere dæmones in hunc mundum, ut eum destruerent & corrumperent, ita humilitas fecit Te descendere in ipsum ad assumendum humanam Carnem, ut nos ascendere-mus ad tuam gloriam, & glorificaremur in præsentia tuæ gloriosæ Essentiæ divinæ.

CAPUT CXLII.

QUOMODO HOMO SIT SENSIBILIS Cupiditatis & Invidia.

I. **O** *DEVS* gloriose, virtuose, potens in
a. *omnibus viribus!* Quia homo, *Domine*, per potentiam sensitivam sentit majorem amorem ad se ipsum, quàm ad ullam
aliam

Vol. II. Li. III. Di. XXVII. Cap. CXLII. 46
aliam rem; propterea naturaliter sentit in
potentia sensitiva cupiditatem & invidiam.

2. Sicut homo, *Domine*, est naturaliter cupidus & invidus ratione potentiae sensitivae, quae ei dat majorem sensibilitatem de suo *esse*, quam de ullo alio *esse*; ita ratione ipsius potentiae plus amat & cupit res, quae sunt ei propinquae in natura & cognitione, quam alias.

3. Quia homo, *Domine*, secundum naturam sensualem habet majorem amorem ad se ipsum, quam ad alium, & naturaliter plus amat suos filios & cognatos, quam alios, propterea est in eo occasio cupiditatis & invidiae, & cupit habere res, quas alii habent.

4. b. *Domine vere DEVS, qui recreasti humanum genus!* Cupiditas & invidia destruxerunt & inordinaverunt mundum, quia Tu dedisti thesauros & bona temporalia hominibus in generali, ut omnes ex eis viverent, & omnibus sufficerent, & quidam cum eis juvarent & vivificarent alios; sed

cu-

462 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
cupiditas & invidia fecerunt devenire bona temporalia in specialitatem, & ea deviarunt à generalitate.

5. In hoc, quòd cupiditas & invidia, *Domine*, faciant proprium & speciale id, quod est commune & generale, derivantur ab eis superbia & deceptio & falsitas & proditio & malevolentia & homicidium; & in quocunque homine sint cupiditas & invidia, sunt defectus virtutum & congregatio vitiorum.

6. Adeò mala res sunt cupiditas & invidia, *Domine*, quòd homines divites ducat ad magnam paupertatem, & homines veraces faciat esse mendaces & falsos; & homines liberos subjiciat servituti, & vivos morti.

7. c. *Misericors Domine, pie, gratiose, amoro-*
se! Quia homo venit de privatione, inclinatur ad cupiditatem & invidiam ratione privationis, de qua venit; quoniam sicut privatio per suam vilitatem non est digna possidere ullam rem, ita homines sunt cupidi & invidi per hoc, quòd velint
habere

Vol. II. Li. III. Di. XXVII. Cap. CXLII. 463
habere illas res, quas non sunt digni ha-
bere.

8. *Amabilis Domine!* Tu dedisti homi-
nibus divitias temporales, ut ipsi cum eis
Te cognoscant, & laudent, & ament, &
ut Tibi ferviant tanquam nobili Domino;
sed, quia ipsi volunt pro se laudem & bene-
volentiam & honorationem, quas Tu vis
ab eis, propterea fiunt cupidi & invidi, &
volunt amari & laudari & honorari, & si-
bi serviri.

9. Si homines cuperent bona hujus
mundi, *Domine*, ut cum eis Te amarent &
laudarent & honorarent, illa cupiditas non
esset vitiosa; sed fere omnes volunt habe-
re bona temporalia in ordine ad suam ho-
norationem & ad suam delectationem, &
propterea sunt pleni cupiditate & invidiâ.

10. d. *Singularis Domine sine pari & socio,*
glorioso super omnes glorias! Homines pau-
peres non habent obligationem essendi lar-
gi de rebus, quas non possident: igitur
cùm homo sit res pauper & misera, quan-
tùm ad id, quod habet de se ipso, non de-
bet

bet esse largus de fragilitatibus & defectibus, quos habet ex parte sui ipsius; sed solum de bonis, quæ possidet per gratiam, & quæ ei veniunt à Te.

11. Veruntamen homo, *Domine*, facit totum oppositum, quia de defectibus, quos habet ex parte sui, est abundans & largus omnibus, qui velint recipere, & de donis & gratiis, quas habet à Te, est cupidus & invidus; & quia ipse recipit à Te plura dona, quàm ullum aliud animal, propterea est adeò cupida creatura.

12. *Æterne Domine!* Cùm ego sim homo, & Tu beneficiaveris meos sensus corporales & spirituales, & ego de omnibus ipsis Tibi fuerim cupidus & parcus in hoc, quòd noluerim eos submittere tuis honorationibus & laudibus, ideo me ipsum accuso Tibi de cupiditate in omnibus meis extremitatibus sensualibus & intellectualibus.

13. e. *Vere Domine in omnibus tuis operibus & in omnibus tuis promissis!* Si homo esset cupidus & invidus de suis rebus, non mirarer; sed, quòd ipse sit cupidus & invidus.

Vol. II. Li. III. Di. XXVII. Cap. CXLII. 465
invidus de rebus, quæ non sunt suæ &
quas ei commendasti, & de quibus tenetur
Tibi reddere rationem; de hoc valde mi-
ror.

14. Si homo, *Domine*, cuperet res, quæ
ad eum pertinent & quarum est dignus,
non esset mirum; sed mirum est super om-
nia mira, quòd ipse cupiat illas res, quæ
ad eum non pertinent & quæ sunt adeò no-
biles, quòd non sint dignæ possideri ab illis,
qui eas cupiunt & invident.

15. Adeò malæ res sunt cupiditas & in-
vidia, *Domine*, quòd plús habeant naturam
dandi paupertatem, quàm divitias, & dan-
di laborem, quàm quietem, & plús habeant
hominem vilipensum & inhonoratum, quàm
in honore & nobilitate, & adeò malæ res
sunt ipsæ, quòd angustia & tristitia & pa-
vores & suspiria sint in illis, qui sunt cupi-
di & invidi.

16. f. *Æterne Domine*, qui vivificas &
sanctificas tuos benevolos! Valde mirum est,
quòd homo habeat cupiditatem & invidiam,
dum memoret & cogitet in tua Bonitate &

G g

Lar-

Largitate, & in brevi vita mundana & in magna indigentia bonorum temporalium, quam habent miseri pauperes.

17. Si homines avari, qui cupiunt divitias, *Domine*, cogitarent & æstimarent, quòd congregent divitias pro aliis, quibus plùs proderunt, quàm sibi ipsis, non adeò ipsas cuperent; & si ipsi cognoscerent, quòd divitiæ plùs possideant hominem divitem cupidum & invidum, quàm ipse divitias, non essent adeò invidi & cupidi ipsarum.

18. Quia cupiditas & invidia, *Domine*, sunt in adeò magno gradu vilitatis & malitiæ, & dæmones, postquam fuerunt creati, statim eas habuerunt, propterea ipsi semper erunt cupidi & invidi.

19. g. *O Domine DEVS, qui visitas tuos amatores placidis recordationibus de tua sancta Passione!* Adeò mala res est cupiditas, quòd homines cupidi, quando deberent agere gratias & congratulari illis, qui eis dant, sint eis ingrati & fiant indigni, ut eis ultra aliquid dent, & homines invidi dum invident, imaginantur, quomodo faciant

Vol. II. Li. III. Di. XXVII. Cap. CXLII. 467
faciant falsitates & proditiones & fraudes
& astutias.

20. In adeò magno defectu & vilitate est omnis homo, qui fit servus & subditus cupiditatis & invidiæ, *Domine*, quòd, dum est cupidus & invidus, nunquam habebit ordinatam intentionem, nec ibit per primum motum, qui est motus, per quem homo prevenit ad perdurabilem gloriam.

21. Quid valet hominibus habere cupiditatem & invidiam, *Domine*, quoniam, licèt assequantur illas res, quas cupiunt & invident, tamen cupiunt & invident alias res, & quo plús habent, eò cupidiores & invidiores sunt?

22. h. *Virtuose Domine, alte super omnes altitudines, abundans misericordiã & pietate!* Ratio, quare cupiditas & invidia non dant homini remedium nec requiem, est, quia cupiditas & invidia generantur & formantur in potentia sensitiva, quæ non cessat cupere & invidere istas vanas & transitorias delectationes mundanas.

23. Id, per quod homines cupidi & invidi

vidi possunt mortificare potentiam sensitivam, ne det eis sensibilitatem cupiditatis & invidiæ, *Domine*, est, quòd sequantur naturam & proprietatem potentiae rationalis, quæ dat eis demonstrationem, ut contemnant vanitates mundanas.

24. Homines cupidi & invidi, *Domine*, quoties habent cupiditatem & invidiam & motum ad iram & tristitiam, ubicunque sint excusationes & astutiæ, eas inveniunt; sed non est ita de hominibus largis, quia largitas eis dat motum placiti & lætitiæ & fidelitatis & veritatis & amoris; & propterea maledicti sunt, qui eunt per vias cupiditatis & invidiæ, & beati sunt, qui eunt per vias veræ largitatis.

25. i. *Honorate Domine, amorose, in omnibus gloriis gloriose!* Valde miror, quomodo homines cupidi & invidi possint invidere & cupere illas res, quas non possunt habere nisi à tua manu & à tua voluntate, & quomodo possint facere fraudes & astutias, ut habeant illas res, quas non consequuntur nec inveniunt nisi cum fidelitate

&

& veritate & amore.

26. Homines cupidi & invidi, *Domine*, quando veniunt ad mortem, relinquunt omnes res, quas in hoc mundo cupiverunt; & si in morte cupiant & invideant id, quod relinquunt, eunt ad invidendum & cupiendum in igne perdurabili res, quas nunquam consequentur & possidebunt.

27. Adeò mala res est cupiditas & invidia, *Domine*, quòd non solùm faciat homines cupere res necessarias, verùm etiam res non necessarias nec utiles: igitur, cùm cupiditas & invidia dent hominibus magnum laborem & magnam poenam in cupiendo res necessarias, quantò plus dant eis laborem & sollicitudinem in cupiendo & invidendo res non necessarias?

28. K. *O Domine DEVS, qui beatificas & vivificas beatos Martyres, qui ad laudandum Te pugnant in morte! Adeò me superaverunt & vicerunt cupiditas & invidia, quòd non solùm cupiverim & inviderim res possibiles, verùm etiam res impossibiles, quia taliter me superabant, quòd res impossibiles*

sibiles facerent mihi videri esse posibles.

29. Cúm ego, *Domine*, sim res vilis & misera & culpabilis & indigna possidere ullam rerum, quas homines boni possident, valde magnam injuriam facio, quoties cupio & invideo illas res, quas non sum dignus habere & possidere : igitur, ne imposte- rum talis injuria cadat in me, peto à Te gratiam, ut, quoties sim sensibilis cupidita- tis & invidiæ ; me facias memorare meam vilitatem & nobilitatem rerum, quas cupi- ditas & invidia me facient cupere & invi- dere , quia tali recordatione exit homo à servitute cupiditatis & invidiæ.

30. Sicut homo infirmus gravi infir- mitate, *Domine* , fugit ab omnibus rebus, quæ sunt ei contrariæ, & accedit ad omnes res , quæ sunt ei occasio sanitatis; ita tuus subditus infirmus peccatis fugit & evitat omnem cupiditatem & invidiam, & petit & inquirit tuam gloriosam Pietatem & tu- am dulcem Misericordiam
divinam.

CAPUT

QVOMODO HOMO SIT SENSI-
bilis Luxuriæ.

1. **D**EVS gloriose ! Tibi, Domine, de-
a. **D**tur omnis gloria & laus & honora-
tio ; quia radicem luxuriæ sentimus esse in
potentia sensitiva, quæ per suam sensuali-
tatem & per participationem cum potentia
vegetabili est potentiæ imaginativæ occasio
imaginandi cœnum luxuriæ.

2. Dum potentia sensitiva, Domine, fa-
cit mentem hominis imaginari operationem
luxuriæ, potentia vegetabilis præ abundan-
tia humiditatis est adeò abundans sensiti-
væ, quòd sensitiva se faciat dominam mo-
tivæ, quæ facit hominem luxuriosum mo-
veri & conspurcari in operibus luxuriæ.

3. Si homo, qui sentit in sua sensuali-
tate ignem luxuriæ, Domine, velit mortifi-
care suam sensualitatem, caveat, ne sua
imaginatio sit major in placito luxuriæ,
quàm in yilitate & immunditia ipsius, &
faciat,

faciat, quòd potentia motiva non obediat potentiaè rationali nec ulli aliarum potentiarum, nisi potentia rationalis sit domina omnium earum.

4. b. *O Domine DEVS, qui fideles Christianos beatificas, quotiescunque confidunt in tua Misericordia!* Quando mens hominis incidit in imaginationem pulchritudinum foeminarum, statim expanditur luxuria in potentia sensitiva, & quò plus eas imaginatur, eò ferventiùs sensitiva impletur calore luxuriæ: igitur, qui luxuriam velit delere & mortificare in sua sensualitate, imaginetur alias res, quæ non sint pulchræ nec placentes.

5. Sicut homo, *Domine*, qui uno pede claudicat, sibi succurrit & se juvat alio pede, ita omnis homo luxuriosus se potest juvare & defendere à fervore luxuriæ in sua potentia imaginativa, si, quando ipsa imaginetur genera vel species vel individua, in quibus generatur luxuria, eam mutet ad alia genera vel species vel individua, quæ non sint illius naturæ.

6. Sicut

6. Sicut homo contractus uno pede non habet, cum quo se juvet, quando vacillat alio pede & cadit, ita homo luxuriosus, qui incitatur in sua sensualitate ab igne luxuriæ, & habet rationem inordinatam ad resistendum & mortificandum ipsum, non habet, cum quo se juvet contra luxuriam, & cadit per defectum rationalitatis & intelligentiæ.

7. c. *Domine DEVS, qui ordinas omnes nostras perfectiones!* Adeò mala res est luxuria, quòd præ magno fervore ipsius desiderant viri habere multas fœminas, & non sint contenti unâ, & videtur eis, quòd plus placiti sentirent in illis, quas non habent, quàm in illa, quam habent; & ratione istius malæ sensualitatis se mutant de una in aliam, & sic conspurcant se & ipsas, & non tantum quærunt, quòd possint invenire satisfactionem, quam desiderant.

8. Luxuria, *Domine*, habet adeò magnam potestatem in homine luxurioso, quòd quandoque faciat eum desiderare aliquam fœminam vilem & horribilem & turpem,
&

474 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
& faciat eum putare nullam aliam esse adeo
pulchram & bonam sicut ipsa.

9. In tam magna servitute luxuriæ
sunt homines luxuriosi, *Domine*, quòd pejo-
res faciat eos esse, quàm bestias; quia bestia
adinvicem non exeunt à via & modo,
quem sua natura requirit secundum spe-
ciem ipsarum; sed mali luxuriosi adeo cu-
piunt placita luxuriæ, quòd viam & modum
naturalem mutant multipliciter contra su-
am naturam & speciem.

10. d. *O perdurabilis Domine, plene dulci
Misericordiâ!* Quò plus homines luxuriosi
exercent luxuriam, eò plus deficit eis po-
testas exercendi ipsam, & eò plus defide-
rant opera ipsius, & propterea senescunt in
servitute luxuriæ.

11. Sicut piscis in aqua est circumda-
tus & comprehensus ab ipsa, ita, *Domine*,
homo luxuriosus est circumdatus in pec-
cato & immunditia & foetore luxuriæ; &
pro uno placito, quod sentit, sentit centum
tædia & displicentias.

12. Non videtur mihi, *Domine*, quòd
in

in toto mundo sit ullum peccatum, quòd adeò teneat hominem in sua potestate, sicut peccatum luxuriæ; quia est adeò malum, quòd per totum mundum se extendat & se diffundat, & adeò se extendit & diffudit in me, quòd totum me comprehenderit, „& à nullo alio peccato fui adeò turpiter ductus & superatus, sicut ab ipso.

13. e. *Æterne Domine, alte & nobilis super omnes honorationes!* Homines luxuriosissime ratione luxuriæ intendunt ad pulchras vestes & odores florum & moschi & ambriæ; sed sua anima & suum cor sunt in foetore luxuriæ, & suæ manus conspurcantur in immundioribus partibus foeminarum.

14. Quid prodest, *Domine*, homini luxurioso indui mundis vestibus & pulchrè ornatis, si luxuria teneat in eo immundum cor, quod ei dedisti ad cogitandum & amandum Te, & immundas manus, quas ei dedisti ad faciendum opera charitatis & ad tangendum victualia necessaria sustentationi ipsius?

15. Omnes illi sunt beati, *Domine*, qui
fu-

fugiunt ab immunditia luxuriæ, ut suum cor sit diversorium, in quo Te velint & ament & desiderent, & suæ manus sint instrumenta ad serviendum Tibi, & ad administrandum pauperibus, qui pro tuo amore petunt eleemosynas.

16. f. *O Domine sapiens! O Domine liber!*
O Domine plene omnibus bonis! Sicut scarabæus quòcunque eat, quærit res turpes & foetidæ, ita homo luxuriosus quòcunque eat, quærit, quomodo se possit volutare & conspurcare in foetore & immunditia luxuriæ; & sicut limax secum portat suum habitaculum, ita homo luxuriosus portat in suo corde imaginando, amando & desiderando turpitudines, foetores & immunditias luxuriæ.

17. Sicut porci se involutant & conspurcant in sterquiliniis & in cloacis & in cœnis plenis foetore, ita, *Domine*, ego miser foedavi & conspurcavi omnes meos sensus corporales & spirituales in cœno & foetore luxuriæ, quæ foedavit totum meum corpus, & corrupit totam meam animam.

18. Adeò me conspurcavit & foedavit, *Domine*, spurcicies & putrefactio luxuriæ, quòd parum desit, ut me faciat desperare de tua gloria; quia non mihi videtur, quòd homo adeò conspurcatus & corruptus, sicut ego, possit esse dignus stare in tua præsentia; sed id, quod me detinet, ne desperem, est tua dulcis Misericordia, quæ est adeò magna, quòd possit mundare & sanare omnes meas corruptiones & omnes meas culpas.

19. g. *Amabilis Domine, Amator omnium illorum, qui ad Te clamant!* Quid prodest homini luxurioso amare & desiderare placita luxuriæ, quoniam, quando ea habet, eum fatigant & pœnitere faciunt, postquam transierunt? Nam nulla res, quæ hominem fatiget & pœnitere faciat, est digna amari nec desiderari nec laudari.

20. Luxuria, *Domine*, inducit inventores, qui per ipsam sunt laudatores & cantatores ad componendum cantiones & saltationes & sonos & choreas; sed quid valer eis laudatio pulchritudinum & consonantia

ver-

478 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
verborum & vocum, cùm opus, propter
quod laborant, sit plenum foetoribus & tur-
pitudinibus & immunditiis?

21. Adeò immunda res est luxuria,
Domine, & adeò conspurcat luxuriosis om-
nia sua membra, quòd manus, quibus pal-
pant turpitudines foeminarum, non sint dig-
næ accedere ad oculos nec ad faciem nec
ad os, quando se lavant.

22. h. *O Domine DEVS, qui es nobilis
super omnes nobilitates & bonus super omnes
bonitates!* In tua Incarnatione & in tua Na-
tivitate & in tua Societate demonstraſti tuo
populo miseriam & vilitatem luxuriæ; quia
de sancto Spiritu voluisti concipi, & de Mu-
liere Virgine voluisti nasci, & tota tua Hu-
manitas fuit in munditia & castitate & vir-
ginitate; & voluisti, quòd omnes Apostoli
& Discipuli & omnes, qui fuerunt in tua
societate, essent pleni munditiâ & casti-
tate.

23. Adeò magnum est exemplum vir-
ginitatis & castitatis, quod dedisti, *Domine*,
in Te ipso & in Apostolis & in tuis Disci-
pulis,

pulis, quòd propterea multi viri & multæ mulieres intrent in Ordinem, & eligant virginitatem & castitatem, & fugiant à fœtore & corruptione luxuriæ.

24. „Cùm tuus servus, *Domine*, sim „obligatus & subditus ordini matrimonii, „valde desidero posse fugere ab operibus „& factis, in quibus luxuria me corrupit & „fœdavit, & esse servum & socium beatorum Religiosorum, qui se subdunt virginitati & castitati, ne conspurcentur in immunditiis luxuriæ.

25. i. *Rex gloriose, Pater potens, regens omnia imperia & regna!* Si Tu, *Domine*, portasti super humeros sanctam Crucem, ut mundares tuum populum, ego portavi in meo corde culpas & peccata; &, si Tu plorasti in Cruce, ut nos mundares, ego non ploravi tuos labores & languores; &, si Tu jejunasti & esuriisti in deserto ad dandum nobis exemplum, ego jejunavi & esurivi ad demonstrandum, quòd essem comprehensus & imbutus igne luxuriæ.

26. Tibi, *Domine JESU Christe*, de-
tur

tur gloria & honor, quia, si Tu habuisti labores & poenas & mortem pro nobis peccatoribus, ego, ut possem habere placita luxuriæ, multoties me exposui periculo mortis, & sustinui multos labores & sollicitudines & timores.

27. Tua dulcis Misericordia, *Domine*, Te fecit esse memorem mei, & luxuria me fecit esse immemorem Tui; & propterea me reputo Tibi valde reum & culpabilem, quia habui in oblivione meum Dominum & meum Creatorem & Salvatorem, ut haberem in memoria ignem luxuriæ.

28. K. *O Domine DEVS, in quo est omnis fortitudo & omnis potestas & omnis gratia!* Non est ullum peccatum, quod fiat cum tanta immunditia & turpitudine, cum quanta fit peccatum luxuriæ; & propterea homines luxuriosi plus amant tenebras & obscuritatem, quam lucem & splendorem; quia tenebræ & obscuritas concordant cum immunditia luxuriæ.

29. Sicut magnus ignis non potest consumi nec extingui nisi cum multitudine aquæ,

Vo. II. Li. III. Di. XXVII. Cap. CXLIV. 481
aquæ, & magnæ immunditiæ & foeditates
non possunt mundari absque multa aqua,
ita, *Domine*, ignis luxuriæ, qui est in me
non extinguetur, nec magna immunditia,
quâ luxuria me conspurcavit, mundabitur,
quousque mei oculi effuderint multas lacry-
mas, & meum cor petiverit à Te multas
remissiones & gratias poenitendo suorum
mortalium defectuum.

30. Sicut Tu, *Domine*, das aquam bes-
tiis & avibus & plantis & herbis, ut vivant,
ita peto à Te gratiam, ut des meis oculis
ploratus & lacrymas, ut in die resurrectionis
munder à cœno luxuriæ, & sanctificer à
tua dulci Misericordia divina.

CAPUT CXLIV.

QUOMODO HOMO SIT SENSI- bilis Iræ.

1. **O** *DEVS* magne, virtuose ! Tibi, *Do-*
mine, fiant reverentia & honores ;
quia ira & indignatio, quæ est in homine,
H h quan-

quandoque est in eo per potentiam sensitivam & quandoque per potentiam rationalem; & quando homo sentit iram per motum potentiae sensitivae, tunc est iratus per secundum motum, quae ira est vitium; & quando sentit iram per motum potentiae rationalis, tunc est iratus per primum motum, quae ira est virtuosa & meritoria.

2. Quando homo, *Domine*, movetur ad iram per solam potentiam sensitivam, tunc se movet ad faciendum fraudes & falsitates & proditiones & crudelitates, quia sensatio sensualis privat in eo omnes virtutes, quae mortificant iram sensualem.

3. Sed, quando homo, *Domine*, movetur ad iram per potentiam rationalem, tunc est iratus, quia videt fieri errata & defectus, vel quia videt, quod res malae corrumpant & destruant bonas, vel quando fecit peccatum, & quando non potest facere multum bonum, quod esset ei necessarium: igitur tota ista ira est homini utilis, & est ei res, ex qua ipsi provenit meritum & praemium.

4. b. *Domine vere DEVS, qui custodis*

& defendis ab igne infernali omnes, quos vis!

Quando homines moventur ad iram, omnes sensus corporales & spirituales & omnes potentia animæ incipiunt perturbari; & sicut mare perturbatur per magnum ventum, ita homines adeò perturbantur per iram, quòd non habeant sensum nec intellectum in ulla re, quam faciunt vel dicunt.

5. Dum homines, *Domine*, tribulantur & torquentur & inordinantur per iram sensualem, vellent, quòd res altæ essent imæ, & res imæ essent altæ, & vellent, quòd res nobiles destruerentur, & res viles & destructæ essent in majori vilitate & destructione; & totum hoc evenit ex eo, quòd ira, quam sentiunt, auferat ab eis intellectum in tantum, quòd non faciant differentiam inter res bonas & proficuas, & res malas & nocivas.

6. Cúm homo iratus, *Domine*, sit absque intellectu & ratione, ideo, sicuti homini ebrio, qui perdidit suum sensum, non debet dari fides in ulla re, quam facit vel dicit, ita homini irato non debet attendi nec dari
fides

fides in ulla re, quam dicit vel facit.

7. c. *Sapiens Domine, amorose, plene dulcedine & pietate!* Quia homo indignatus & iratus non possidet se ipsum, propterea est dispositus ad lucrandum vel ad perdendum plús, quàm ullus alius homo, qui non possidetur à furore iræ.

8. Si homo, *Domine*, qui est iratus & perturbatus, possit vincere & mortificare & superare & refrænare suam iram & suam malevolentiam, & non se sinat vinci & superari nec duci & possideri ab eis, habet magnum meritum; & debet multúm remunerari illa vis, quam facit in se ipso ad ligandum & constringendum & vincendum & refrænandum suam malevolentiam.

9. Homines nolentes resistere iræ & malevolentia, quas sentiunt, *Domine*, & sinentes se duci ab eis, quòcunque ipsæ velint, sunt in majori periculo, quàm ulli alii possint esse; quia sua ira & malevolentia sunt eis occasio perdendi corpus & animam & gloriam paradisi.

10. d. *O Domine DEVS, qui scis omnes nostras*

nostras cogitationes & omnes nostras consideraciones! Homines, qui se permittunt vinci & superari ab ira & indignatione, quando est transacta sua mala voluntas, tunc eos poenitet omnium rerum, quas fecerunt & dixerunt, dum erant irati; & videtur eis omnes illas res fuisse quasi somnium: igitur, cum homo sit res adeo mala, quando est iratus, esset conveniens, quod caperetur & ligaretur; quia nullus homo phræneticus habet tantam occasionem faciendi malum, quantam habet iratus, cum à phrænetico sciant homines se defendere, & non sit, qui se sciat defendere ab irato.

11. Adeo mala res est ira, *Domine*, quod nullus homo comprehensus & victus ab ea ignoscat, nec det, nec habeat pietatem nec misericordiam nec justitiam, imò sit injuriosior & crudelior, qui esse possit.

12. Homo, qui est in furore iræ, *Domine*, est plus mortuus, quam vivus, quia suum vivere est ei mori; & dum homo est iratus, non habet ullum medium inter se & suam damnationem; quia ira, in qua est,
est

est ei via & occasio ignis perdurabilis: igitur, cùm ira adducat hominem in tam miserum statum, maledicti sunt, qui non resistunt suæ iræ, & beati sunt, qui suam iram mortificant.

13. e. *Vere DEVS gloriose, qui exaudis omnes, qui corde humili & devoto pœnitendo ad Te clamant!* Sicut ignis habet naturam & proprietatem comburendi & destruendi & consumendi omnes res, quæ in eum projiciuntur, ita ira, *Domine*, devorat & destruit & consumit omnes res, quotiescunque homo se sinat duci ab ea; quia omnes imaginationes & cogitationes & recordationes & voluntates, quæ sunt in homine irato, maleficantur & destruuntur à furore iræ.

14. Sicut scintilla ignis crescit & multiplicatur in tantum, quòd comburat integram civitatem vel integrum montem mutando se de uno loco in alium & comburendo unam rem & postea aliam, ita, *Domine*, adeò mala & venenosa res est ira, quòd à modica quantitate ipsius se mutet homo ad magnam iram, & per iram unius

ho-

Vo. II. Li. III. Di. XXVII. Cap. CXLIV. 487
hominis fiant multi alii irati, & adeò crescit ira in hominibus, quòd per eam destruantur imperia & regna & diversæ regiones.

15. Adeò mala res est ira, *Domine*, quòd non sit ulla infirmitas nec ullus dolor nec ulla amaritudo, quæ tot mala & tot labores & tot pericula det homini sicut ira; quia ipsa est principium mali, & ab ea descendunt defectus: unde beati sunt omnes, qui non sinunt se captivari & possideri ab ira, quæ est mater tot malorum, & sunt servi & subditi patientiæ & misericordiæ & remissionum.

16. f. *O Domine DEVS, qui custodis & defendis hominem ab omnibus malis! Tuus servus & tuus subditus peto à Te gratiam, ut, quando per aliquam occasionem incitabor ad iram, mihi des gratiam refrænandi meam iram & non sinendi me duci ab ea, & abstinendi ab omni verbo & opere, quousque ipsa præterierit.*

17. Tibi, *Domine DEVS*, qui in hoc mundo fecisti nasci tuum servum absque furore

furore & ira, placeat, quòd ipse sinè eis maneat in mundo ; &, quando de hoc mundo exhibit , placeat Tibi, quòd sinè eis transeat in alium ; quia , qui de hoc mundo exeunt cum furore & ira, in die iudicii surgent à suis sepulchris irati, & irati ibunt ad iram perdurabilem.

18. Cúm in hoc mundo , *Domine* , ira sit homini accidens separabile, & tamen ipsum valde torqueat, quantò plús ipsum torquebit in inferno, in quo erit ei accidens inseparabile?

19. g. *Domine DEVS*, qui denunciastis hominibus benedictiones gloriæ paradisi ! Qui volunt ejicere & deviare iram & furorem à suo corde , auferant suam imaginationem & cogitationem à natura potentiæ sensitivæ, & mutant se ad imaginandum & cogitandum in natura potentiæ rationalis.

20. Qui vult refrænare suam iram & suum malum cor, memoret, *Domine* , quòd iverit sapientia & patientia & pietas & suavitas, quæ erant in eo, antequam ira intraret in ipsum , & inquiret occasiones , per

quas

quas ira privavit virtutes, quæ in eo erant, & introduxit in ipsum vitia, quæ in eo non erant.

21. *Benigne Domine!* Melior & virtuosior res, & quæ adfert majus meritum, est, quando homo commotus magnâ irâ accipit artem & modum, per quem ira non habeat potestatem in eo, & per quem eam extrahat à suo corde, ut possit esse amator pacis & charitatis & benevolentia.

22. h. *Rex potens, fortis super omnes vires!* Sicut memorare & cogitare injurias & ignominias, quas homo recepit à suis inimicis, est ei occasio iræ, ita, *Domine*, oblivisci earum & memorare magnas gratias, quas Tu nobis fecisti, est ei occasio refrænandi ipsam.

23. Cúm tuus amor, *Domine*, adeò appropinquaverit humanam naturam tuæ divinæ Essentiæ, valde magnam occasionem & rationem habemus, ne ulla ira, quantumcunque magna sit, faciat nos esse iratos contra tua mandata & contra tuam justam Voluntatem.

24. Qui

24. Qui est iratus contra Te, *Domine*, hoc ei evenit ex defectu amoris; quia, si suum cor esset plenum tuo amore, non haberet iram de ulla re, quam Tu faceres vel velles.

25. i. *O Domine DEVS*, qui latificas fideles Christianos memorantes tuam gloriam! Cùm ira fit res, quæ venit subitò & velociter, oportet hominem subitò recurrere ad patientiam & pietatem & indulgentiam, ne ipsa possit eum superare & inducere ad errandum.

26. Sed, quia homo, *Domine*, est corruptus per peccatum, & est amator vanitatum mundanarum, quæ nihil valent; propterea ira venit in eum citiùs & velociùs, quàm patientia & suavitas & misericordia & indulgentia.

27. *O Domine*! Beati sunt, qui habent patientiam & pietatem & amorem & misericordiam erga illos, qui eos commovent ad iram; & maledicti sunt, qui, quando eis venit ira, subitò irascuntur contra illas res, quæ eos commovent ad iram, quin re-

currant

currant ad misericordiam & amorem & patientiam & remissionem.

28. K. Omnis gloria & omnis virtus & omnis laus detur Tibi, *Domine DEVS*; quia sicut eques ducit suum equum, quòcunque vult, ita ira ducit quòcunque vult illos, qui ei sunt subditi, & qui non sciunt ei resistere.

29. Igitur, cùm Tu, *Domine*, feceris gratiam tot servis & tot subditis tuis, placeat Tibi mihi facere gratiam, ut sim contrarius iræ & malevolentia, & concordem cum amore & patientia & benevolentia, quoties ira me volet deviare ab his virtutibus.

30. Qui est captus & turbatus à furore iræ, *Domine*, veniat ad legendum in hoc *Libro Contemplationis*, in quo demonstratur tua magna Bonitas, & vilitas & miseria hujus mundi; quia per istas duas cognitiones, quas homo habeat, poterit mortificare & refrænare omnem iram & malevolentiam per magna placita & gratias, quas recipiet à suo Domino DEO.

CAPUT

QVOMODO HOMO SIT SENSIBILIS GULÆ.

1. **D**ivine Domine, gloriose, sapiens, plena omnibus bonis! Homines, qui sunt servi & subditi gulæ, sentiunt gulam ratione potentia vegetativæ, quæ eos movet ad ipsam.

2. Quando homo, Domine, sentit appetitum comedendi & bibendi ratione potentia vegetativæ moventis sensitivam, & sequitur naturam potentia sensitivæ, tunc est gulosus & vorax, & non imaginatur nisi res, quas possit comedere & bibere.

3. Et si homo, Domine, non mortificet & refrænet potentiam sensitivam cum rationali, fit gulosus & vorax & servus sui ventris; quia, sicut à potentia sensitiva descendit & venit gula ratione naturæ bestialis, quæ est in ea, ita à rationali venit & descendit continentia & abstinentia & afflictio & jejunium ratione naturæ intellectualis,

tualis, quæ est in ea.

4. b. *O Splendor omnium splendorum ! O Lumen omnium luminum !* Homo gulosus & vorax est captivus & subditus sui ventris & suæ gulæ, & iste est peior dominus, quem homo possit habere; quia nocte & die dat ei sollicitudinem & laborem, & non finit eum stare in pace & quiete.

5. Homo, qui est subditus & captivus sui ventris, *Domine*, est in magno labore si-
ve sit jejunus si-ve non; quia, quando est je-
junus, est inquietus, quousque satiatur &
repleatur; & postquam multum comedit &
bibit, tunc est in majori labore per reple-
tionem sui ventris, quia nimis comedit &
bibit.

6. Cúm servitus gulæ, *Domine*, sit val-
de mala captivitas, & det angustiosum la-
borem, tuus servus & tuus subditus peti-
t à Te gratiam, ut eum custodias & defen-
das à tali servitute, & eum facias servum &
subditum continentia & abstinentia, de
quibus veniunt omnes bonæ educationes &
omnes boni mores.

7. c. *Virtuose Domine, honorate, benigne, perdurabilis* ! Omnis homo gulosus est proditor & homicida sui ipsius; quia gula facit eum nimis comedere & bibere, & per istam nimietatem infirmatur, & per infirmitatem venit ei mors.

8. Homo gulosus, *Domine*, non vult stare in diæta, nec vult sequi suam discretionem, nec vult sequi consilium sui medici, & comedit & bibit plus, quàm sua digestiva possit coquere; & ideo est occisor sui ipsius, & est inobediens & ingratus Tibi, qui es suus Dominus & suus Administrator.

9. Homo gulosus & malè educatus, *Domine*, plus amat comedere & bibere rem, quam scit sibi esse contrariam, & per quam poterit habere infirmitatem & mortem, quàm obedire suæ discretioni & rationi, quæ ei demonstrat, quòd sua vita & sua sanitas placeat Tibi, si eam impendat in tuam laudem & obedientiam tuorum mandatorum.

10. d. *Domine vere DEVS, qui denunciasti*

Vol. II. Li. III. Di. XXVII. Cap. CXLV. 499
ciasti glorias & pœnas alterius seculi! Multo plures sunt labores & sollicitudines, quas habet homo gulosus per suam gulam, quàm placita & boni sapor, quos habet per ipsam; quia totâ die & nocte laborat in perquirendo res, quas vult comedere & bibere; & bonus sapor, quem habet in comedendo & bibendo, non durat unâ horâ diei.

11. Tu, *Domine*, ordinasti, quòd homo comedat & bibat, ut vivat, sed homo gulosus vult vivere, ut comedat & bibat; & propterea sua intentio est inordinata; quia de secunda intentione facit primam, & de prima secundam.

12. Adeò est gula mala sensualitas, *Domine*, quòd res, quæ supersunt in mensa, faciat recludi, ut eis possit iterum fatiari; & perversus gulosus non vult dare famelicis, qui coram se stant, & non scit, an tempus ei sufficiet, ut possit comedere & bibere omnes illas res.

13. e. *Creator Domine cœli & terræ! Gula facit hominem falsum & deceptorem & furem*

496 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
furem & inurbanum ; quia homo gulofus,
dum fui focii loquuntur in menfa, comedit;
& dum vertunt faciem ad aliam partem,
eligit fibi meliores cibos & ponit eos ante
fe.

14. Gula, *Domine*, decipit multos ho-
mines in die jejunii, quia per hoc, quòd
debeant abftinere à carnibus, & non debe-
ant nifi femel comedere, faciunt fibi præpa-
rari multos cibos, & diu manent in menfa,
ut bene poffint fatiari.

15. Gula, *Domine*, fecit me aliquoties
infanum & mendacem, quia per nimium
comedere multum fitivi & bibi vinum, &
per nimium bibere fui infanus & mendax;
quoniam homo ebrius non operatur cum fa-
no fenfu, nec dicit veritatem in verbis, quæ
loquitur.

16. f. *Domine humilis, fuaavis, amabilis in
omnibus bonis!* Homo gulofus & vorax, li-
cèt multum comedat & bibat, tamen vide-
tur ei fe parum comedere & bibere, & vide-
tur ei, quòd alii comedant & bibant plus,
quàm ipfe, & propterea distribuit victualia

in

in mensa pejús, quàm ullus alius homo.

17. Homo gulosus, *Domine*, est primus, qui vadit ad mensam, & ultimus, qui ab ea surgit; &, dum comedit & bibit, memorat plús victualia, quæ sunt bona, quàm Dominum, qui ea dat, & per hanc memoriam obliviscitur pauperum indigentium illis victualibus, quæ ipse non potest absumere.

18. Nullus homo, *Domine*, ita viliter & indecenter sedet ad mensam, sicut homo vorax; quia ipse habet caput inclinatum & facit magnas buccellas, & fere non masticat; quia vult citò multum comedere, & tanquam porcus conspurcat suum os & suas manus & suas vestes.

19. g. *O Domine sapiens, potens, abundans omnibus bonis!* Homo vorax non invitatur, nec est urbanus quousque sit satur; sed quando ipse habet suum ventrem bene plenum, incipit invitare & loqui & esse affabilis, & propterea parum valet sua affabilitas & urbanitas, cùm non invitet alios nisi ad cibos, quos non potest manducare.

20. Major fortitudo, quam homo gulosus & vorax habet, *Domine*, est in suis dentibus, & majus desiderium, quod ipse habet, est desiderium comedendi & bibendi; & dummodo ipse satiatur & impleatur, non curat, quòd alii esuriant & sitiant.

21. Adeò mala res est gula, *Domine*, quòd omnia mala ab ea veniant, & ratione ipsius omnia vitia participant cum homine guloso; & propterea tuus servus & tuus subditus Te precatur, ut eum facias esse subditum abstinentiæ, ne gula habeat potestatem in eo.

22. h. *Rex Regum, Domine Dominorum!* Adeò me tenet gula in sua potestate, quòd pauperes pro amore Tui petentes non faciam de victualibus, quæ mihi supersunt, & in quæ ipsi habent jus, eò quòd eis sunt plus necessaria, quàm mihi.

23. Gula, *Domine*, facit homines desperare de tua Liberalitate & de tua Largitate & de donis, quæ das libenter & gratiose; quia adeò timent, ne victualia eis deficiant, quòd totaliter desperent se posse habere

bere sufficientiam ipforum.

24. Per gulam, *Domine*, multoties sum piger ad faciendum bonum & evitandum malum; quia, quando habeo meum ventrem plenum nimio cibo & potu, sum adeò oneratus & gravis, quòd non delectet me facere ullum bonum, nec evitare ullum malum, quamcunque opportunitatem habeam.

25. i. *Vere Domine, plene gratiâ & amore!* In nullo homine sunt tot defectus, quot sunt in homine guloso & vorace; quia adeò delicatè vellet comedere & bibere, quòd nullatenus inveniat satisfactionem delectamentorum, quæ inquirat in saporibus.

26. Homo gulosus, *Domine*, manducat & bibit in una die plus, quàm indigeat in duobus vel tribus; &, quando ratione nimix repletionis non habet delectationem in cibis, quos comedit, putat eam invenire in aliis, & sic totâ die se mutat de alio cibo in alium, & propterea est in majori labore, quàm ullus aliorum hominum.

27. In toto mundo, *Domine*, non est
ulla

ulla res, quæ adeò fit occasio paupertatis & furti sicut gula; quia homo gulosus quotidie consumit suos denarios & suas divitias, & quando non habet, quid expendat, gula facit eum furari res, quas suus venter postulat.

28. K. *O Domine virtuose, benigne, pie!*
 Homo gulosus, quando in mensa comedit lapidos cibos, obturat suas aures, ne audiat pauperes, qui pro tuo amore petunt eleemosynam, & obmutescit, ne respondeat eis, & avertit suos oculos, ne videat ipsos coram se stantes.

29. *Cùm gula, Domine, tamdiu perseveret in homine, non sunt ullæ expensæ, quæ tantum durent, quantum illæ, quæ fiunt ratione ipsius, quia homo gulosus quotidie multum expendit, ut possit implere suum ventrem, & non dat ei tantum, quòd possit eum satiare & ei satisfacere.*

30. *Tibi, Domine DEVS, fiat reverentia & honor & gloria; quia Tu, qui de duobus piscibus & quinque panibus satiasti quinque millia virorum, potes refrænare in*

tuo

Vo. II. Li. III. Di. XXVII. Cap. CXLVI. 501
tuo seruo gulam, & potes ei dare abstinenciam ad amandum & laudandum suum Dominum DEUM.

CAPUT CXLVI.

QUOMODO HOMO SIT SENSIBILIS PAVORIS & TIMORIS.

1. **O** *DEVS* magne super omnes magnitudines, honorate super omnes honorationes ! Pavor & timor, quem homo sentit, quandoque est virtuosus, & quandoque vitiosus; quia, quando generatur in potentia rationali, & incedit per primum motum est virtuosus; & quando generatur in potentia sensitiva, & incedit per secundum motum, est vitiosus.

2. Quando homo, *Domine*, sentit pavorem & timorem virtuosè tunc pavet & timet, ne res nobiles pretiosas & virtuosas perdat ratione vilium & inutilium.

3. Quando homo, *Domine*, sentit pavorem & timorem vitiosè, tunc potentia
sen-

sensitiva est in eo potentior rationali, & facit eum timere res, quæ sunt contra ipsam, & eam mortificant.

4. b. *Sanctificate Domine, gloriose in omnibus gloriis!* Id, quod ego plus timeo in hoc mundo, est tua magna Justitia & tua justa Sententia; sed in quantum ipsa me facit timere, in tantum me confortat tua dulcis Misericordia.

5. *Amorose Domine!* Si homines culpabiles timent malos principes injuriosos, non est mirum; quia dominum, qui non sit justus, & in quo non sit ulla misericordia, non solum debent timere homines culpabiles, sed etiam innocentes.

6. Qui pavent & timent Te, *Domine*, debent laudari, quia suus pavor & timor est laudabilis; sed, qui pavent & timent homines mundanos injuriosos, debent reprehendi & vituperari, quia suus pavor & timor est vituperabilis.

7. c. *O Domine DEVS, qui dirigis & restauras tuum populum!* Homines peccatores multò plus pavent perdere delectationes

nes hujus mundi transitorii, quàm perdurabilem gloriam paradisi, & plús pavent labores & pœnas hujus mundi, quàm labores & pœnas alterius.

8. De majoribus mirabilibus hujus mundi, *Domine*, mihi videtur esse, quòd homo plús paveat & timeat pœnas habentes finem, quàm tormenta, quæ sunt sinè fine; quia res habentes finem non debent multum timeri, cùm suus finis sit homini ratio non multum timendi eas; sed res non habentes finem debent valde timeri, quia non habent finem.

9. Omnem hominem reputo nescium, *Domine*, qui plús pavet perdere delectationes hujus mundi, quàm cœlestia bona; quia perdere ista bona temporalia non est perditio damnosa, eò quòd ipsa nihil valent; sed perdere cœlestia bona est major perditio, quæ esse possit.

10. d. *Domine vere DEVS, qui es dignus omni gloriâ & omni honore!* Omnis homo, qui sit Tibi culpabilis in quocunque loco & tempore sit, debet pavere & timere
Te;

Te; quia sive sit in loco populato sive in deserto, sive sit solus sive associatus, sive sit de die sive de nocte, semper es potens super ipsum & semper potes eum punire.

11. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia non debet homo tantum timere Principes terræ, quantum Te; quoniam si ipsi habent potestatem in uno loco, non habent eam in alio; & si habent potestatem in uno tempore, non habent eam in alio; sed Tu, in quocunque loco & tempore homo sit, habes potestatem super eum.

12. Cúm nulla res sit in *esse* præter Te, *Domine*, quæ in omni loco & in omni tempore habeat potestatem, valde miror, quomodo possint homines timere nisi Te solum; quia omnes alii timores sunt vani respectu timoris, quo Tu debes timeri.

13. e. *Æterne Domine sine principio & sine*! Quare plús timent mortem homines infirmi, quàm homines sani, cúm quotidie videamus infirmos sanari & sanos mori morte subitanâ? & quare timent mortem senes plús, quàm juvenes, cúm quotidie videamus

dicamus juvenes mori & senes vivere?

14. Sicut bonus vasallus, qui vadit ad palatium sui boni Domini, non debet timere, quando est in porta & intrat ad præsentiam ipsius, ita, *Domine*, homines justi existentes in vera poenitentia non debent timere, quando sunt prope mortem; quia mors est porta, per quam eunt & intrant ad tuam præsentiam.

15. Quando tuus servus & subditus timebo mortem, *Domine*, peto à Te gratiam, ut me facias memorare, quòd mors sit porta, per quam homo transit de hac vili vita mundana ad gloriosam gloriam perdurabilem; & quando mihi minabitur mors, precor Te, ut me facias memorare diem iudicii, in quo anima & corpus conjungentur ad possidendum vitam perdurabilem.

16. f. *Perdurabilis Domine, omnibus bonis abundans!* Bene scis Tu, quòd timor sine amore nihil valeat; & propterea, ut omnes mei timores sint boni & utiles, peto à Te gratiam, ut meum cor impleas amore, ne in me sit timor, qui non sit plenus ipso.

17. Qui

17. Qui habet suum bonum dominum & suum bonum amicum, quem amat valde magno amore, quantus est amor, quem habet erga eum, tantus est timor, quem habet, ne eum perdat vel ei displiceat: igitur, cum Tu, *Domine*, sis tuo servo adeò nobilis Dominus & adeò bonus & fidelis amicus, si ego Te amassem, timuisssem perdere & contemnere Te & oblivisci Tui.

18. Si homo, qui in via occurrit suo mortali inimico, timeat, *Domine*, non est mirum: igitur ego, qui nocte & die sum inter meos mortales inimicos, qui sunt delectationes meæ carnis & culpæ meæ animæ, valde deberem ipsos timere.

19. g. *Liberalis Domine, virtuose, plene dulcedine & misericordiâ!* Cùm nemo sit, qui possit effugere à morte, non est mors res, quam homo debeat multum timere: igitur, nisi tuus servus timeret mori antequam ista *Ars Contemplationis* sit perfecta, non timeret mortem, quia scit se non posse eam effugere.

20. *Amorose Domine, plene gratiâ!* Tui
fer-

ferventes servi non timent mortem, sed timent occasionem ipsius; „& ideo ego plus timeo mori secundum cursum naturalem, quam ipsam mortem; & iste timor est in me per hoc, quod amem mori pro tuo amore, quia amor fuit occasio tuæ mortis.

21. Ita inamorasti, *Domine*, multos amatores, quod non timeant mortem, imò dicant morti, quod veniat, quando velit; quia quâcunque horâ veniat, eos inveniet inamoratos de suo Domino & Creatore & Salvatore.

22. h. *Domine magne super omnes magnitudines, Domine honorate super omnes honorationes!* Quando vasallus non audet laudare suum bonum Dominum coram inimicis ipsius, plus significatur in eo timor, quam amor: igitur, quando nos non audemus laudare Te coram infidelibus inimicis sanctæ Fidei Romanæ, significatur, quod plus sumus servi timoris, quam amoris.

23. Si timor facit, quod homo timeat reprehendere & dicere vitia & defectus hominum in præsentia ipsorum; valde miror,
Domine,

Domine, quomodo possit esse, quòd amor non faciat nos audaces ad enarrandum & dicendum coram tuis inimicis nobilitates & virtutes, quæ sunt in Te.

24. Major timor, quem ego sentio, *Domine*, est mortis subitanæ; quia homines peccatores non habent ullum inimicum adeò malum & mortalem, sicut est ipsa; quoniam non expectat, quòd ipsi Te memorent & confidant in tua dulci Misericordia, nec dat eis tempus plorandi sua peccata nec poenitendi ipsorum, nec finit eos ordinare suas res, nec satisfacere pro injuriis.

25. i. *Æterne Domine, perdurabilis omnì tempore, gloriose in omnibus gloriis!* Privatio amoris fecit me plus timere inimicos mei corporis, quàm inimicos meæ animæ: igitur cum inimici animæ sint magis nocivi, quàm inimici corporis, peto à Te gratiam, ut me impleas amore, per quem plus timeam illos, quàm istos.

26. Inimicos corporis effugit homo, *Domine*, postquam ipsi occiderunt corpus, quia ultra non possunt ei nocere; sed inimi-

COS

cos animæ non potest effugere post mortem animæ; quia ipsi infinitè torquent eam pœnis perdurabilibus: igitur quomodo est homo adeò nescius, quòd timeat inimicos corporis plús, quàm inimicos animæ?

27. Illas res, quæ habent majorem potestatem faciendi bonum vel malum, deberet homo plús timere: igitur, cùm Tu, *Domine*, habeas majorem potestatem dandæ gloriam & pœnam, quàm ulla alia res, quomodo potest esse, quòd homo non timeat Te plús, quàm ullam aliam rem?

28. K. *Honorate Domine super omnes honorationes, bone super omnes bonitates!* Si nuntius, quem suus Dominus mittit, sciret, quòd in via occideretur, non vellet ire, quia timor mortis eum detineret: igitur benedictus sis Tu, *Domine JESU Christe*, qui sciebas, quòd occidereris in hoc mundo, & nec timor mortis nec ullius laboris Te detinuit, ne venires in carne humana, in qua es mortuus ad salvandum tuum populum.

29. Valde magna ratio esset, *Domine*, quòd homines religiosi non timerent mortem

tem

510 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
tem & irent ad prædicandum infidelibus &
discredentibus; quia, si Tu voluisti venire
in mundum ad sustinendum labores & an-
gustiosam mortem, ratio esset, quòd homi-
nes irent ad laudandum & benedicendum
Te, cum ipsi non sint certificati de morte
nec de laboribus, sicut Tu eras, qui omnia
sciebas, antequam Te incarnares.

30. Sicut est rationi contrarium, quòd
homo, *Domine*, lætetur perdendo, & triste-
tur lucrando, ita & adhuc plus videtur mi-
hi rationi contrarium, quòd homo timeat
mori ad dandum laudem de Te, qui voluisti
mori ad salvandum tuum populum, qui ca-
rebat gratiâ nostri Domini DEI.

CAPUT CXLVII.

*QUOMODO HOMO SIT SENSI-
bilis in sua Sensualitate.*

1. **D**ivine Domine, gloriose! Tibi fiat re-
a. **D**verentia & honor, qui ex substantia
corporali & ex spiritali composuisti homi-
nem,

nem, qui ex parte substantiæ corporalis est sensibilis sensualiter, & ex parte substantiæ spiritualis est sensibilis intellectualiter.

2. Per naturam substantiæ corporalis sentit homo, *Domine*, calorem & frigus, famem & sitim, sanitatem & infirmitatem, res molles & duras, & res siccas & humidas; quia omnia ista accidentia descendunt à rebus sensualibus corporalibus.

3. Ex natura animæ descendunt in homine, *Domine*, accidentia spiritualia, quæ ipse sentit intellectualiter; & ista accidentia sunt amor & voluntas & memoria & cogitatio & perceptio & conscientia & subtilitas & animositas; quia omnia ista accidentia sentit homo in anima, quoties veniant de potentia in actum.

4. b. *Iuste Domine, sapiens in omni tempore* ! Ex sensualitatibus corporalibus & ex spiritualibus generantur in homine sensualitates communes, & propterea sunt in homine tres modi sensualitatum: unus est ex parte corporis, alius ex parte animæ, & alius est sensualitas communiter exiens ex parte

512 *B. Raym. In lib. Contempl.*
parte utriusque.

5. Quando homo religiosus respicit in Cruce, *Domine*, tuam figuram, quæ ei demonstrat tua vulnera & tuos labores & gravem mortem, quam sustinuiti, tunc sentit sensualiter; & quando per istam sensualitatem sensualem memorat tuam Passionem & Mortem, tunc sentit intellectualiter; & quando plorat & suspirat & amat & habet contritionem & devotionem, tunc sentit compositè sive corporaliter & spiritualiter simul.

6. Quando corpus hominis, *Domine*, sentit calefactionem & fervorem & ploratum, & anima sentit amorem & affectionem & recordationem & cogitationem & devotionem, tunc de istis duabus sensualitatibus fit in homine una sensualitas composita de rebus corporalibus & spiritualibus.

7. c. *O Domine, cui omnes creaturae obediunt, honorate in omnibus honorationibus! Tu reliquisti tuam figuram in Cruce, ut tuus populus eam possit sentire visu corporali, & voluisti, quòd tuum Corpus videamus & tracte-*

Vo. II. Li. III. Di. XXVII. Cap. CXLVII. § 13.
tractemus & sentiamus super Altare corpo-
raliter, quando hostia & vinum deveniunt
in tuam Carnem & tuum Sanguinem per
virtutem verborum.

8. Et quia nostra sensualitas corporalis
non potest sufficere ad sentiendū tuum glo-
riosum Corpus, quod est in cœlo, propterea
voluisti, *Domine*, quòd nostra sensualitas
intellectualis sufficiat ad sentiendum ipsum
intellectualiter, quod sentimus per fidem &
per intellectualitatem hìc in terra.

9. Quando Sacerdos habet tuum glo-
riosum Corpus super Altare, *Domine*, sui
sensus corporales non sentiunt ipsum, cūm
non sint digni ipsum sentire, eò quòd non
sunt glorificati, & ipsum est glorificatum;
sed tunc quinque sensus spirituales sentiunt
tuum gloriosum Corpus, quia cogitatio co-
gitat Hostiam esse ipsum, & perceptio hoc
percipit per fidem, & conscientia hoc con-
sulit, & subtilitas hoc demonstrat per ope-
rationem miraculosam, & animositas hoc
vult scire, amare, credere & intelligere.

10. d. *Patiens Domine, virtuose, plene*
K K *dul-*

514. *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
dulcedine & pietate ! Quia tua divina Es-
sentia est infinita & nostris oculis corpora-
libus invisibilis, propterea nostri sensus cor-
porales non possunt eam sentire.

11. Igitur, quia Tu, *Domine*, vidisti,
quòd nostri sensus corporales non possint
sufficere ad sentiendum tuam benedictam
Deitatem, placuit Tibi nobis dare quinque
sensus spirituales, ut cum eis sentiamus in-
tellectualiter honorationem & nobilitatem
& virtutem & excellentiam ipsius.

12. Qui tuam Deitatem vult sentire,
Domine, sentiat Te in sua anima per Ora-
tionem & contemplationem, quia ipsa habet
potentiam & virtutem sentiendi memoran-
do, intelligendo & volendo tuam Gratiam
& tuam Gloriam & tuam veram Justitiam &
tuam dulcem Misericordiam & tuam mag-
nam Potestatem & tuam Sapientiam & om-
nes alias Virtutes.

13. c. *Æterne Domine, virtuose, amabi-
lis omni tempore !* Sicut domus, quæ habet
duas portas, & per unam intrat amicus Do-
mini domus & per aliam inimicus ipsius, ita
quilibet

Vo. II. Li. III. Di. XXVII. Cap. CXLVII. 5 15
quilibet homo habet duas sensualitates, scilicet sensualem & intellectualem, & per sensualem intrant in eum vitia, & per intellectualem virtutes.

14. Unde, quando dæmon pulsatur in homine sensualitatem sensualem ad movendum eum ad luxuriam, Angelus pulsatur sensualitatem intellectualem ad movendum eum ad castitatem; & quando dæmon pulsatur in homine ad excitandum eum ad proditiones & falsitates, Angelus pulsatur ad movendum eum ad fidelitatem & sapientiam; & quando dæmon pulsatur in ipso per gulam & superbiam & vanam gloriam, Angelus pulsatur per continentiam & humilitatem & contemptum hujus gloriæ mundanæ.

15. Si homo, *Domine*, sentit pulsationes dæmonis plus, quam pulsationes Angeli, aperit portam dæmoni & eam claudit Angelo; &, si ipse sentit pulsationes Angeli plus, quam dæmonis, aperit Angelo & claudit dæmoni; & propterea homo est sibi ipsi occasio illarum majorum sensualitatum, quarum est plus sensibilis.

16. f.

516 B. Raym. Lulli Lib. Contempl.

16. f. Sanctificate Domine, gratiose in omnibus bonis ! Tuum benedictum Corpus in die tuæ Passionis fuit totum sensibile dolorum & languorum & laborum & poenarum & gravis mortis; quia totaliter fuit spoliatum & flagellatum & percussum & vulneratum & illusum & occisum.

17. In die tuæ Passionis, Domine, tuum Corpus non solum sensit tormenta per tactum, sed etiam per omnes alios sensus corporales; quia tui oculi senserunt ploratus & lacrymas, & viderunt multas res, quæ eis displicebant, & tuæ aures audierunt verba inurbana & injuriosa, quæ judæi Tibi dicebant, & tuæ nares senserunt foetores corporum putrefactorum, quæ erant in loco, in quo Te crucifixerunt, & tuum os gustavit amaritudinem fellis & absynthii & aceti.

18. Benedictum sit, Domine, tuum gloriosum Corpus, quod sensit tot tormenta, quòd plura non potuerit sufferre; quia, quanta fuit in eo potestas sentiendi tormenta, tanta sensit in die mortis; &, quia plura non potuit sufferre, propterea fuit superatum

tum & victum & occisum ab ipsis.

19. g. O Domine, qui es sapiens in omnibus rebus, quæ fuerunt, sunt & erunt! In die tuæ Passionis fuit tua Anima tota in labore & tristitia & tribulatione per magnas poenas, quas videbat sustinere & sufferre tuum Corpus, quod pugnabat pro salute tui populi.

20. Tota tua Anima, Domine, sensit tribulationem in die tuæ Mortis, quia habebat pietatem de tuo Corpore, quod videbat torqueri & occidi, quin haberet ullam culpam; & habebat pietatem & compassionem, quando videbat tuam benedictam Matrem remanere in mundo, & tuos Apostolos fugere & deserere Te, & habebat pietatem & contritionem de hominibus, qui torquebant tuum Corpus, & plangebat defectus & peccata ipsorum.

21. In die tuæ Passionis, Domine, tota tua anima sentiebat amorem & pietatem & misericordiam & patientiam & humilitatem & omnes alias virtutes: unde benedicta sit ipsa, quia omnes labores & poenæ, quas sen-

18 B. Raym. Lulli Lib. Contempl.
sentiebat, erant ad nostram salutem & ad
nostram saluationem.

22. h. *Domine, cui seruitur, Domine, cui
datur laus & honor!* Sicut tuum gloriosum
Corpus in die tuæ Mortis totum sensit pœ-
nas corporales, ita voluisti, quòd tua Ani-
ma in ipsa die tota sentiret pœnas & angus-
tias spirituales: igitur, cùm Tu, *Domine,*
corporaliter & spiritualiter senseris tormen-
ta pro nobis peccatoribus, quis est ille mi-
ser, qui timet sustinere labores corporales
vel spirituales pro tuo amore?

23. Adeò multas pœnas sensit tuum
Corpus, *Domine,* & adeò fuit tribulata tua
Anima, quòd tuus seruus se det & offerat
ad sustinendum omnes labores corporales
& spirituales pro tuo amore.

24. Veniant, *Domine,* labores & pœnæ
& tribulationes & angustia corporales &
spirituales & tangant me pro tuo amore;
quia, quòd plures erunt, eò plus meliorabun-
tur meum corpus & mea anima.

25. i. *Singularis Domine sine pari & equa-
li, potens & amabilis & gloriose!* Homines

pauperes tangunt divites amorificis, suavis-
bus & piis verbis, ut eis faciant eleemosy-
nam; sed homines divites non adeò tangun-
tur ab illis, quòd eos sentiant, imò sunt tan-
quam mortui sinè ulla commiseratione &
pietate.

26. Homines pauperes, *Domine*, va-
dunt ad pulchras domos & ad homines be-
ne indutos, & altis vocibus & planctibus &
fletibus pulsant & petunt, & tamen non sen-
tiuntur nec audiuntur, nec succurritur ipsis
in suis necessitatibus; & ideo decipiuntur à
pulchritudine domorum & vestimentorum
hominum divitum.

27. Homines mortui, *Domine*, tangunt
vivos significando eis, quòd morientur, &
putrescent, sicut ipsi sunt mortui & putre-
facti; sed quid valet, quòd mortui hoc fa-
ciant, si vivi sunt insensibiles, & non per-
cipiunt significationem, à quâ tanguntur?

28. *K. Liberalis Domine, omnibus bonis
abundans!* Mea anima tangit meum corpus
significando ei vilitatem & fragilitatem &
miseriam ipsius; quia per cognitionem,
quam

520 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
quam, mea anima habet de vilitate mei corporis, tangit ipsum, ne superbiat, & ut contemnat suas vilitates & miserias.

29. Sicut corpus hominis delectatur & lætatur, quando tangitur à rebus, quæ cum eo conveniunt in natura; ita anima, *Domine*, delectatur & lætatur, quando tangitur à rebus, quæ cum ea concordant & conveniunt in natura.

30. Igitur, cum Tu, *Domine*, lætificaveris meum corpus multis tactibus sensualibus cibi & potus & dormitionis & quietis, peto à Te gratiam, ut lætifies meam animam multis tactibus intellectualibus amoris & laudis & honoris & gratiarum actionis erga suum cœlestem Dominum divinum.

CAPUT CXLVIII.

QUOMODO TACTVS HOMINIS sit terminatus.

1. **O** *DEVS* gloriose, une in Trinitate
a. **O** una in Substantia divina! Sicut cor-

pus hominis est terminatum, ita, *Domine*, oportet tactum ipsius esse terminatum; quia per terminationem corporis oportet tactum recipere finem & terminationem.

2. Tibi, *Domine DEVS*, fiat gloria & reverentia & honor, quia omnes sensualitates hominis oportet esse terminatas intrà certum terminum ratione sui principii & finis; cùm omnem rem habentem principium & finem oporteat habere naturam & proprietatem, per quam sit terminata.

3. In corpore hominis, *Domine*, est sensualitas terminata, & quantum est ipsum corpus, tantum homo est sensibilis; cùm extra terminos corporis ipse non sentiat calorem nec frigus nec infirmitatem nec dolorem nec famem nec sitim; & hoc evenit per hoc, quòd homo extra terminos sui corporis non habeat subjectum, in quo habeat ullam sensibilitatem.

4. b. *O Domine DEVS*, qui es benevolus *Amator tuorum fidelium amatorum*! Sicut tactus humanus est terminatus intrà locum, ita est terminatus intrà tempus; quia homo
sentit

522 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
sentit res in uno tempore, quas non sentit
in alio.

5. Unde benedictus sis, *Domine DE-
VS*, qui non terminasti animam hominis
intrà locum & tempus, in quibus corpus est
terminatum; quia intellectualitas & virtus
animæ per intelligentiam transcendit lo-
cum & tempus, intrà quæ est terminata sen-
sualitas corporalis.

6. Sed tamen, sicut sensualitas corpo-
ralis, *Domine*, est terminata intrà res corpo-
rales, ita voluisti, quòd intellectualitas ani-
mæ sit terminata intrà res intellectuales,
quæ terminant animam hominis in hoc,
quòd non habeat cognitionem de omnibus
rebus.

7. c. *Benigne Domine super omnes bene-
dictiones!* Benedictus sis Tu & omne, quod
tuum est; quia, sicut bestia ligata non po-
test se extendere, nisi in quantum ei suffi-
cit ligamen, ita sensualitates hominis non
possunt sentire nec attingere, nisi in quan-
tum se extendunt sui termini; & sicut bes-
tiæ ligatæ affert homo cibum, qui est extra

Vo. II. Li. III. Di. XXVII. Ca. CXLVIII. § 23
terminos, ad quos ipsa potest pertingere, ita
intellectualitates animæ afferunt hominī
sensualitates, quæ sunt extra terminos, ad
quos ipsa potest pertingere.

8. Cū meum corpus & meæ sensua-
litates, *Domine*, sint terminatæ in his par-
tibus occidentis, mea anima, quæ recorda-
tur partium orientis, in quibus es passus &
mortuus pro nobis peccatoribus, affert ab
illa sancta terra meo corpori victualia fle-
tuum & calefactionis cordis & contritionis
& devotionis & pœnitudinis peccatorum,
quæ feci contra Te.

9. Si sensualitas mei corporis, *Domine*,
est terminata in hoc mundo, mea anima,
quæ transcendit ad alium per cogitationem
& imaginationem & memoriam & volun-
tatem & intellectum, affert ei sensationem
amoris & dulcedinis & placiti, desiderando
& amando Te & tuam benedictam glo-
riam.

10. d. *Domine vere DEVS, in quo cog-
noscitur omnis gloria & omnis honoratio! Si-
cut sensus spirituales transcendunt termi-
nos,*

524 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
nos, intrà quos sunt terminati sensus corpo-
rales, ita sensus corporales attingunt sensua-
litates, in quibus sunt terminati sensus spi-
rituales.

11 Nam sensus spirituales, *Domine*,
non habent naturam videndi nec audiendi
nec odorandi nec gustandi nec sentiendi
secundùm naturam sensuum corporalium;
& quia sensus spirituales non habent hanc
naturam, ideo sunt terminati in natura sen-
suum corporalium.

12. Quia intellectualitas animæ est ter-
minata in sensualitate corporis, propterea,
Domine, anima de sua natura & propieta-
te dat corpori, quòd sit continens & vir-
tuosum, & corpus de sua natura & propie-
tate dat animæ, quòd sit vitiosa & culpabi-
lis; & hoc evenit ratione duorum termino-
rum, qui adinvicem participant in homine,
uno terminante alium in hoc, quòd sensua-
litates terminent intellectualitates, & intel-
lectualitates terminent sensualitates.

13. e. *Rex amorose, qui es splendor omni-
um splendorum!* Terminus sensibilitatis tua-
rum

rum angustiarum & dolorum & mortis non fuit parvus, imò fuit valde magnus; quia per hoc, quòd culpa, quæ cecidit in naturam humanam per peccatum primi parentis, fuerit valde magna, oportuit, *Domine*, esse valde magnam sensibilitatem passionis & mortis, per quam oportuit ipsam deleri.

14. Quantò corpus hominis est purius & sanius & sinè ulla corruptione, tantò major est sua sensibilitas: igitur, cùm tuum Corpus, *Domine*, fuerit purius & sanius & melius naturatum omni alio corpore humano, quanta fuit in eo sensibilitas laborum & mortis in die tuæ Passionis? non est cor nec intellectus potens hoc æstimare & comprehendere.

15. Cùm tuum Corpus, *Domine*, fuerit ita paratum ad sentiendum delectationes hujus mundi per dispositionem naturæ in eo ordinatæ, & nolueris ullam earum sentire; quis posset æstimare continentiam, quam habuisti in hoc mundo? benedictus sis, *Domine*, quia, sicut fuit magna tua sensibilitas in laboribus & in morte, ita fuit magna

526 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
magna in delectationibus hujus mundi tran-
sitorii, quas noluisti sentire.

16. f. *Excellent Domine, magne super om-
nes magnitudines!* Cúm mei sensus corpo-
rales sint terminati, & non possint sentiendo
attingere magnos labores & graves dolores
& angustiosam mortem, quam sustinuisti pro
nobis peccatoribus; peto à Te gratiam, ut
extendas meos sensus spirituales & amplies
suos terminos, ut contemplando possint il-
los attingere.

17. Sicut sensualiter quædam acciden-
tia terminant alia in corpore hominis,
quando quædam accidentia ab eo expellunt
alia; ita, *Domine*, intellectualiter quædam
accidentia terminant & expellunt alia in
anima ipsius.

18. Tuus servus, *Domine DEVS*, Te
orat & precatur, ut deleas & expellas ab eo
omnia accidentia vitiosa sive sensualia sive
intellectualia, ne accidentia virtuosa sint in
eo terminata intrà parvum terminum ratio-
ne illorum.

19. g. *Domine sapiens, Domine amorose,
dulcis,*

dulcis, simplex & suavis ! Delectationes & placita, quæ homo sentit in hoc mundo sensualiter sunt terminata intrâ parvum terminum & spatium; quia quantitas & qualitas ipsorum clauduntur intrâ breve tempus, & per brevitatem temporis & quantitatis & qualitatis sensationes illorum sunt valde breviter terminatæ.

20. Quia felicitates & delectationes mundanæ, *Domine*, sunt terminatæ intrâ parvum spatium, propterea scitur finis in eis; sed in inferno non est ita, quia in eo non sunt terminatæ pœnæ & labores; & propterea non scitur à nobis finis in eis.

21. Delectationes & placita, quæ homo sentit in hoc mundo, *Domine*, terminantur intrâ tempus præteritum & futurum: igitur, cum tempus præsens sit res adeò modica, quòd intellectus humanus non possit ipsum capere ratione nimix modicitatis, valde miseri sunt, qui pro adeò modica sensualitate temporis præsentis perdunt sensualitatem beatitudinis paradisi, quæ non terminatur per tempus præteritum nec futurum.

22. h.

22. h. *Æterne Domine*, in quo non est principium nec finis; Sicut sensus hominis est terminatus in hoc mundo intrâ parvum terminum, similiter est terminata cognitio ipsius, quæ non scit, quanto tempore durabunt delectationes, quas sentit; quia non est ullus homo quantumcunque sapiens sit, qui possit esse certus, quòd delectationes hujus mundi in eo durabunt unâ horâ nec mediâ nec plus, quàm uno momento.

23. Inter sensationem delectationum mundanarum & ignorantiam durationis ipsarum non est in homine, *Domine*, ullum medium, nec una est major nec minor aliâ, quia in illo eodem tempore, in quo homo sentit suam delectationem, ignorat, an illa transibit in tempus futurum, & propterea sunt æqualiter terminatæ prosperitates hujus mundi & scientia, quam homo habet de duratione ipsarum.

24. Termini terminantes prosperitates & delectationes, quas homo sentit in hoc mundo, *Domine*, sunt angustia & iræ & pœnæ & labores; quia primum, quod homo sentit

fentit post prosperitates & delectationes, sunt labores & sollicitudines & iræ & tormenta, ad quæ transit post ipsas.

25. i. *O desiderate Domine, invocate ab omnibus populis!* Cùm meum corpus non sit sensibile ultra suos terminos, & isti sint valde breves & parvi & miseri, valde miror de me, quomodo possim adeò amare felicitates corporales, & possim adeò timere labores corporales.

26. Sicut sensatio corporalis in homine abbreviatur & minuitur in die suæ mortis, *Domine*, ita sensatio suorum cognatorum & amicorum minuitur & consumitur eâdem die; quia post mortem hominis vix habent alii ullam sensibilitatem de ipso memorando nec cogitando nec amando nec volendo.

27. Primus terminus, quem habuit mea sensatio in introitu hujus mundi, fuit in dolore, quem sensi, quando mea mater me peperit, & ultimus terminus, quem habebit in exitu de hoc mundo, erit in angustiis mortis: igitur, cùm ego, *Domine*, sim terminatus in principio & in fine, si meum

corpus angustietur in dolore in die meæ mortis, placeat Tibi, quòd mea anima eadem die lætificetur in ipso.

28. K. *Rex Regum & Domine Dominorum!* Sicut cor hominis habet majorem sensibilitatem, quàm omnia alia membra, ita tua gloriosa Humanitas habet majorem sensibilitatem gloriæ, quàm omnes aliæ humanitates; & hoc est ratione conjunctionis & unionis ipsius cum tua Deitate.

29. Adeò corruptum est per peccatum meum falsum cor, *Domine*, quòd tota sua sensibilitas sit parvificata & diminuta; & adeò est ipsum induratum, quòd vix sit sensibile pietatis & doloris poenarum, quas sentiunt pauperes esuriētes & sitientes & patientes calorem & frigus & infirmitatē & paupertatē.

30. Tuus servus filius tui captivi & tuæ ancillæ Te laudat & Tibi agit multas gratias, *Domine*, quia ei dedisti gratiam perficiendi istam Distinctionem, & confidit in tua benedictione, quòd eum juvet ad perficiendum alias Distinctiones futuras ad gloriam & honorem Tui, qui es suus Dominus & suus Salvator & suus DEUS.

❁ (531) ❁
INDEX

TITULORUM TOMI IV.

VOLVUMEN II.

LIBER III.

DISTINCTIO XXIII.

De Visu.

- CAP. 103. Quomodo homo videat humanum introitum in hunc mundum & exitum ab eo. fol. 3.
104. Quomodo homo videat in hoc mundo quænam res sint pulchræ & quænam deformes. 13.
105. Quomodo homo videat alterationem & mutationem, quæ fiunt in mundanis rebus. 24.
106. Quomodo homo videat differentias,

tias, quæ sunt in creaturis. fol. 34.

- CAP. 107. Quomodo homo videat id, quod vegetabilia faciunt. 46.
108. Quomodo homo videat id, quod faciunt bestiaë in hoc mundo. 58.
109. Quomodo homo videat id, quod faciunt aves in hoc mundo. 70.
110. Quomodo homo videat id, quod faciunt Clerici. 81.
111. Quomodo homo videat id, quod faciunt Reges, & Principes hujus mundi. 92.
112. Quomodo homo videat id, quod faciunt Equites. 104.
113. Quomodo homo videat id, quod faciunt illi, qui devotionis vel voti causâ peregrinantur. 116.
114. Quomodo homo videat, id quod faciunt iudices & advocati & testes. 127.
115. Quomodo homo videat id, quod faciunt Medici. 140.
116. Quomodo homo videat id, quod faciunt Mercatores. 151.

CAP.

INDEX.

533.

- CAP. 117. Quomodo homo videat id, quod faciunt Marinarii. fol. 165.
118. Quomodo homo videat id, quod faciunt Moriones. 178.
119. Quomodo homo videat id, quod faciunt Pastores. 191.
120. Quomodo homo videat id, quod faciunt Pictores. 203.
121. Quomodo homo videat id, quod faciunt Agricolaë. 215.
122. Quomodo homo videat id, quod faciunt Artifices. 228.
123. Quomodo homo videat in Cruce Exemplar nostri Domini DEI JESU-Christi. 241.
124. Quomodo visus corporalis hominis sit finitus & terminatus. 254.

DISTINCTIO XXIV.

De Auditu.

125. Quomodo homo audiat voces & verba. 266.

CAP.

INDEX.

534

CAP. 126. Quomodo homo audiat laudes
& vituperia in hoc mundo. fol. 278.

127. Quomodo humanus auditus sit
terminatus. 289.

DISTINCTIO XXV.

De Odoratu.

128. Quomodo homo odoretur odores,
& quomodo odoratus humanus sit
terminatus. 301.

DISTINCTIO XXVI.

De Gustu.

129. Quomodo homo gustet dulcia &
amara, & quomodo gustus hominis
sit terminatus. 312.

DIS-

De Tactu.

- CAP. 130. Quomodo homo sentiat calorem & frigus. fol. 324.
131. Quomodo homo sit sensibilis famis & sitis. 335.
132. Quomodo homo sit sensibilis fatigatitatis & infirmitatis. 347.
133. Quomodo homo sit sensibilis quietis & laboris. 358.
134. Quomodo homo sit sensibilis placiti & displiciti. 369.
135. Quomodo homo sit sensibilis diligentiae & pigritiae. 380.
136. Quomodo homo sit sensibilis desiderii & tristitiae. 390.
137. Quomodo homo sit sensibilis animositatis & pusillanimitatis. 401.
138. Quomodo homo sit sensibilis verecundiae. 413.
139. Quomodo homo sit sensibilis zelotypiae. 425.

CAP.

- CAP. 140. Quomodo homo sit sensibilis
vanæ gloriæ. fol. 438.
141. Quomodo homo sit sensibilis su-
perbiæ. 450.
142. Quomodo homo sit sensibilis cu-
piditatis & invidiæ. 460.
143. Quomodo homo sit sensibilis lu-
xuriæ. 471.
144. Quomodo homo sit sensibilis
iræ. 481.
145. Quomodo homo sit sensibilis
gulæ. 492.
146. Quomodo homo sit sensibilis pa-
voris & timoris. 501.
147. Quomodo homo sit sensibilis in
sua sensualitate. 510.
148. Quomodo tactus hominis sit ter-
minatus. 520.

C

B. R. I.
L. A. Co.
Tom. 42

R. L. Lull
655

22. *principium nec finis*: Sicut
est terminatus in hoc mundo
terminum, similiter est ter-
ipfius, quæ non scit, quant-
bunt delectationes, quas
est ullus homo quantumcu-
qui possit esse certus, qu-
hujus mundi in eo durabu-
mediâ nec plus, quàm uno

23. Inter sensationes
mundanarum & ignorantia-
farum non est in homine
medium, nec una est major
quia in illo eodem tempo-
sentis suam delectationem
transibit in tempus futurum
sunt æqualiter terminatæ
jus mundi & scientiæ, qu-
de duratione ipsarum.

24. Termini termina-
& delectationes, quas ho-
mundo, *Domine*, sunt angu-
næ & labores; quia prin-